



25. £

B.

XXXY.

1

1

80

E II II 130

Zu den Einbänden vgl.  
Häbler. Rollen- u. Plattenstempel  
I, S. 505, Nr. IX, X

P. G. III 7999  
561433

Biblioth. public. Trevorens. Eccl.  
Dono S. Hieron. Treviri. 1828.

PETRI RAMI

VEROMANDVI, PHILOSOPHIÆ ET ELOQVENTIÆ Regii professoris celeberrimi,

Commentariorum de Religione Christiana, Libri quatuor,

Commentariorum de Religione Christiana, Li-

bri quatuor,

EIVSDEM VITÆ

A Theophilo Banosio descripta.

*Non merita: sed <sup>verus</sup> peccata nra traxerunt Filium*

*Dei de caelis.*

*Dei de caelis.*



*Codmann. Mog. 1798.*

*26. Am*

FRANCOFVRTI

Apud Andream Wechelum.

M. D. LXXVII.

*m. job. Dous*

*F. m. &*

*Igicu-*

*e Sar-*

*sed vo*

E II II 130<sup>20</sup>

P. G. II  
51



ILLVSTRI ET GENE-  
ROSO DOMINO, DO. PHI-  
lippo Sidneio Proregis Hybernæ  
filio, Comitum Warwici &  
Leycestriæ nepoti,

THEOPHILVS BANOSIVS

SALVTEM ET GRATIAM

in Christo plurimam

exoptat.

**H** *ST hoc in more positum nostro  
seculo (SIDNEIE clarissime)  
ut plerique nominis sui gloriã  
variis artibus posteritati cele-  
brandam commendent. Alii enim ex diuitia-  
rum, ædificiorumque Luculli sumptus exupe-  
rantium monumentis, laudem aucupantur: alii  
Absalonis verentes ætæruarum, pyramidem &  
arcum triumphalem superstites sibi erigi cu-  
rant: alii honores ambiunt: alii denique Sar-  
danapali mores non tantum sectantur, sed vo*

luptatum illecebris deliniti beatos se esse existimant. Enimvero quàm inania sint hæc stultorum hominum studia, omnium gentium & ætatum exempla docent, diuinogꝛ oraculo admonemur, Ματαιότης ματαιότητων, τὰ πάντα ματαιότης. πῆς ὡλεοσέυεια τῶ ἀνθρώπῳ ἐν παντί μόλῳ αὐτῆ ὁ μόλθει ὑπὸ τὸν ἥλιον? Itaque illi demum sapienter famæ suæ consulunt, qui diuinarum humanarumque rerum scientiam ab incunabulis amplectentes, ad extremum usque spiritum indefesso studio prosequuntur: hocque genus hominum ut rarum est, ita de ipsorum laudibus nulla unquam ætas conticescet, & virtutis sapientiæqꝛ egregia documenta amabit & sectabitur. Quod sicubi unquam verum fuit, in Petro Ramo verissimum esse omnes illi fateantur qui scripta ipsius quæ extant doctissima perlegerunt: sed quantum distat cælum à terra, sic ea sapientia quæ ex Philosophi Christiani & Martyris Christi de religione Christiana commentariis recens emergit, omnis doctrinæ ac sapientiæ humanæ laudem longè superat. De quibus antequam nonnihil dicam, historiam de Petri Rami vita, studiis Philosophicis, moribus, religione, morte denique ipsa paucis accipe.

PATRIA Petri Rami fuit Veromanduorū pagus, *Q<sup>W</sup>T*, olim obscurus, sed in posterum celebris, qui Oratorem & Philosophū non minori laude quā Arpinum alioquin ignobile, Ciceronem genuerit. Natus est salutis nostrae M. D. XV. eo ipso anno quo Franciscus I. (bonarum literarum parens) Rex Galliarum inauguratus est. Parentes Rami agricola fuerunt pauperrimi. Auus certè, ut ipse commemorat in Praefatione Regiae suae professionis, in Eburonū gente, familia imprimis illustri fuit: sed patria à Carolo Burgundionū duce capta, & incēsa, in Veromanduorū agrum profugus, ob paupertatē carbonariā artē exercuit. Auo & patre Ramus fuit pauperior & calamitosior. Puer enim vix è cunis duplici peste laboravit, à qua Dei beneficio liberatus, anno aetatis suae circiter octavo sponte Lutetiam venit, & inde bis abductus violentia temporis, bis eodem tamen, quamlibet reflantibus ventis reuersus, & ardenti discendi studio incensus, ab Honorato Carpenterio auunculo victū per aliquot menses perexiguū accepit, ut artes addisceret: deinceps necessitate coactus multos annos duram seruitutem in collegio Nauarrae seruiuit. Sed quum interdum dominis suis fide-

Auus Rami  
illustri loco  
natus.

PETRI RAMI

Ramus ar-  
tium libera-  
lium laurea  
donatur.

lem operam praestitisset, nocte, Cleanthis Phi-  
losophi exemplo non dissimili, oleo & lucerna  
disciplinarum lumen breui tempore tantū sibi  
comparauit, vt artium liberaliū laurea sit do-  
natus: & priuatim docendo se exercuit, donec  
in Academia Parisiensi, omniū antiquissima,  
praelectiones auditorum frequentia celeberrimas,  
& doctissimorum hominum iudicio do-  
ctissimas est professus. Ex quibus certē appa-  
ret nostrum Philosophū ad res magnas & pre-  
claras natum, contra communem mortalium  
cursum, à desperatis initiis ad optatum finem  
tandem peruenisse: verèq; de illo dici potest,

Qui cupit optatam cursu contingere metam,  
Multa tulit fecitque puer, sudauit & alfit.

Equidem difficillimum semper fuit eum res  
magnas agere, cui magnæ opes desunt, & haud  
facilè emergūt quorum virtutibus obstat, Res  
angusta domi: sed labor omnia vincit impro-  
bus: nec solet virgula diuina illos deserere, qui  
ocium & voluptates, tanquam Syrenum can-  
tus euitantes, honestissimas disciplinas perpe-  
tuis laboribus & vigiliis adipiscuntur. Atque  
hae fuerunt Petri Rami studiorum radices à in-  
uentute amarae, fructus verò quàm dulces &  
suauēs postmodū extiterint, agetū videamus.

SVSCE

SUSCEPTA Magistri laurea, & prælectionum publicarum exercitio factus eruditior, Logicam tanquam instrumentū reliquarum artium expolire, acueret, & à rubigine expurgare instituit: idq; Tusani Græcarum literarum Regii professoris motus adhortationibus, & usu redditus prudentior. Nam quum eruditionem suam in explicandis autoribus experiri conaretur, multa se studuisse, & non multum, deprehendit, sicq; præposterè studiis suis consuluisse. Quemadmodum enim non hi qui plurimo cibo utuntur, melius valent iis qui quantum opus est edunt: ita non qui plurima, sed qui utilia legunt & observant, studiosi & eruditi sunt habendi. Narrat Lampridius Heliogabalum Romanum Imperatorem assentatoribus suis conuiuium condixisse, iisque cibos ex cera, ligno, ebore, marmore, lapidibus fictos pictosq; apposuisse, & illos non gustu, sed visu satiatis domum remisisse: sic Ramus, qui ex multis Sophisticis argutiis tanquam cena philosophica philosophum se esse putabat, non rerum prudentia & sapientia, non dicendi ac differendi scientia satiatus esse, sed fictis rebus deceptum vidit. Verum de his ipsis studiis Logicis, ipse in epilogo libri quinti scholarum

Studia Ramii Philosophica.

PETRI RAMI

Vide epilo-  
gum libri  
quinti, scho-  
larum diale-  
cticarum.

*Dialecticarum fusius disseruit. Ex quibus con-  
stat qua via ab Scholasticis tenebris ad hanc  
doctrinae lucem peruenerit. Anno itaque ata-  
tis vicesimo primo Dialecticae studiis magno  
animi ardore incumbit: & eius artis usum,  
veterum Philosophorum & Oratorum exer-  
citationibus tantopere celebratum, scholis Pa-  
risiensibus septimo post anno tandem restituit,  
edita in hunc finem Dialectica & Aristote-  
licis animaduersionibus ad Academiam Pa-  
risiensem. Socij studiorum fuerunt Bartholo-  
maeus Alexander, & Audomarus Taleus,  
diuina doctrina & singularis iudicij vir: qui  
nisi praematura morte sublatus fuisset, parem  
equidem, sed superiorem in bonis literis hoc  
nostrum seculum non vidisset: cum illo super-  
stite Ramus fraternam semper coluit amici-  
tiam. Emulos vero, ne quid grauius dica, ex-  
pertus est quamplurimos, imprimis P. Gallan-  
dium, Antonium Goueanum, Ioachimum Pe-  
rionium, Iacobum Carpentarium: hostes vero  
insensissimos Sorbonistas, quorum omniu par-  
tim inuidia, partim maleuolo animo ad sub-  
sellia indicum Ramus saepe accusatus, semel  
damnatus, propter editas in Aristotelem ani-  
maduersiones, de fama & fortunis periclita-*

Ramus Dia-  
lecticam &  
animaduer-  
siones Ari-  
stotelicas  
edit in pu-  
blicum, &  
hoc nomi-  
ne periclita-  
tur.

tus est, & tandem interdictum ei, ne unquam scribendo vel docendo in ullam Philosophia partem ingrederetur. Quos labores, quae pericula, quas contentiones, quas calamitates hoc nomine velut Hercules alter sustinuerit, longum esset commemorare, & ex Talei Academia repetere plura scire cupientibus erit facilitum: hoc unum dicam, nouum & inauditum crimen fuisse Ramo obiectum, Quod Aristoteli repugnando, Theologiam eneruaret. Magnus scilicet pietatis magister Aristoteles, qui mundi creationem, prouidentiam Dei, animi immortalitatem derisit: qui vita aeterna spreta, beatitudinem hominis non in alia quam in hac mortali vita statuit: qui post mortem nihil aliud homini reliquit, quam ut dici posset, Hic beatus fuit: qui humanam felicitatem ex hominis ipsius facultate, non ex diuina gratia desinit: denique qui oppletus tenebris & caligine, libris quatuordecim Metaphysices, quibus veram sophiam describere conatur, Sophisticam omnium maximè stultam, maximè que impiam infinitis locis proponit. Atque hoc nomine Athenis accusatum, & in Chalcidem relegatum esse docti existimant quod de Diuinitate malè sentiret. Neque temerè Pa-

Vide Academiam Talei

Aristotelis Atheismi.

Cur olim  
Thomas A-  
quinas fit  
damnatus à  
Sorbonistis

*risienses illi Theologi Sorbonistis nostris mul-  
to prudentiores habentur, qui, ut erat in indi-  
ce Magistri Sententiarum, Thomam Aquina-  
tatem damnarunt, quòd cum sacris literis pa-  
ganismum Aristotelis permisceret. Sed, in-  
quies, Artes liberales organo Aristotelis me-  
lius definiuntur & tractantur. Mei non est  
instituti Aristotelem in Philosophicis negli-  
gere, quem scientia rerum, scriptorum copia,  
eloquendi suauitate, inuentionum acumine,  
varietate operum imprimis celebrem philoso-  
phum dici posse nemo sanus unquam negaue-  
rit. Sed plerique immeritò offendi mihi videntur,  
quòd liberius iudicet Ramus de Aristote-  
licis præceptis, alium in iis ordinem & viam  
meliorem requirens, nonnulla etiam deside-  
rans quæ deesse videntur. Quasi verò eadem  
libertate vsus non sit Aristoteles in reprehenden-  
dendis iis qui ante ipsum scripserunt Dialecti-  
cis, Rhetoricis, Philosophicis scriptoribus. Ro-  
dolphus Agricola ante Ramum istud ius si-  
bi etiam arrogauit, & non idem quod Ari-  
stoteles sentit, & tradit de locis inueniendi.  
Mathematici, quorum axiomata certa sunt,  
tamen non iisdem insistent omnes, quibus Eu-  
clides & Ptolemæus vestigiis. Sed liberum esto  
cuiusque*

Aristoteles  
quomodo  
fit celebris  
philosoph.

Rodolphus  
Agricola in  
dialecticis  
ab Aristote-  
le dissentit.

cuiusque hac de re iudicium, dummodo verum omnes fateamur, Evangelii nempe doctrinam Sophistis illis omnino fuisse exosam, qui neglecto verbi sacri studio Theologiam Sophismatis infinitis ab Aristotele mutuatis peruerterunt, quæ ante Rami animadversiones pro oraculis in Academia Parisiensi habita esse Philosophi summi confitentur. Invidia ergo crimen fuit non exiguum, Petrum Ramum Aristotelis Ethnici, antagonistam Christianum tot contumeliis, & famæ bonorumq; damnis indignissimis afficere.

Ceterum quum tantis tempestatibus ageretur, Nicolaus Sapiens illum summis precibus obtestatur, ut Præleum gymnasium desertum ab scholasticis, propter pestem Lutetia, anno M. D. XLIIII. seuisime grassantem, restauraret. Cuius petitioni obtemperans, sic enixus est, ut breui tempore loci solitudo in magnam iuuentutis frequentiam sit commutata. Nec tamen diu ibi securus quieuit: Nam Sorbonistæ Sapientum impulerunt ut Ramum foras expelleret: sed causa in iudicio cognita, Curia Parlamenti decreto Ramus Prælei gymnasiarcha & præcipuus moderator cõfirmatur: neq; propterea cū aduersario summo iure usus est,

Præleum  
gymnasium  
instaurat.

PETRI RAMI

*sed concordia certis conditionibus inita, Sapientus cum Ramo in iisdem adibus fraternè vixit & mortuus est. Hoc initium fuit illius lucis que Ramum ex tenebris eduxit. Nam paulo post, nempe anno Domini M. D. LI. ætatis autem Rami anno XXXVI, Henrici Galliarum Regis diplomate, ad postulationem Caroli Lotharingi Cardinalis, Regius eloquentiæ & philosophiæ professor, summo cum honore & totius Galliæ applausu designatus est. Hic longius progredi non possum, quin Dei clementiam & providentiam commendem, qui Ramum iacentem è pulvere inopem erexit, ut in altissimo honoris gradu postea collocaret. Nam antequam rex Henricus Ramum commemorato honore affecisset, Parisiensis Senatus universus sanctissimo iudicio constituerat, ut in pristinum statum restitueretur, integrumq; ei esset in coniungendis eloquentiæ & Philosophiæ studiis, liberè philosophari. Equidē quantas hoc nomine & quàm frequentes Deo Opt. Maximo egerit gratias, ex multis ipsius scriptis manifestum est, quas versibus sequentibus sepe decantabat.*

Committe vitam, rem, decus  
Dei vnus arbitrio,

Ramus eloquentiæ & Philosophiæ Regius professor designatur.

V I T A.

Animi tibi ex sententia  
 Confecta reddet omnia:  
 Illustris auroræ utiubar  
 Tua faciet ut sit æquitas,  
 Ut luce virtus sit tua,  
 Meridiana clarior.

*Itaq; Regius Eloquentiæ & bonarum artium professor designatus, totum se Reip. literariæ commodis deuouit, Ciceroniano, id est, eloquentiæ thesauro edito in publicū, ut barbariæ abdicata, Latini idiomatis elegantia in pristinū decus restitueretur. Legimus Græcos Demosthenis eloquentia, Romanos Ciceronis facundia ad bene apteq; dicendum fuisse excitatos: at uerò non tantum Gallos uidimus ex Rami ore melle dulciori fluente oratione ornatè dicere, uerum omnes Europæ Academiæ huius nostri Oratoris scriptis & doctrinæ fama excitatas eloquentiæ summa contentione operam dedisse. Nulla siquidem est Christiani orbis natio quæ Rami sapientiam non amauerit, & præmio laudando redimere studuerit. Amisso enim Romulo Amaseo, qui mille ducatorum stipendiis in celeberrima Bononiensi Academia docuerat, Angelus Papius totius Academiæ consensu illum in demortui locum euocauit. Ab Andrea Duditio Imperatoris legato*

Ciceronianus Rami.

Fama sapientiæ Rami.

PETRI RAMI

Cracouiam est inuitatus. Ioannes Rex Pat-  
 nonia Albæ Iuliæ administrandæ magna pro-  
 posita mercede præficere voluit, & chirogra-  
 pho Regio obsignauit. Nec frustrà tanti viri  
 fama ex doctrinæ & lucubrationū monumen-  
 tis omnes Europæ partes fuit peruagata. Lati-  
 nas enim fecit Epistolas Platonis: scripsit in a-  
 liquot Marci Tullii orationes, in Fatum, in  
 somnium Scipionis, in librum primum de Le-  
 gibus, in Virgilii Bucolica & Georgica, De ve-  
 terum Gallorum moribus libros duos, De mi-  
 litia Cæsaris, Brutinas questiones, multaq; a-  
 lia, quibus recensendis & merito laudandis  
 hic nequaquã immorabor, quùm omnia ipsius  
 quæ supersunt opera, & in iis quædam nondũ  
 excusa, Andreæ Wecheli typographi typis in  
 lucem breui proditura sint. In docendis autem  
 & tractandis disciplinis duplicem instituit ra-  
 tionem: alteram  $\epsilon\pi\sigma\tau\omicron\lambda\epsilon\upsilon\tau\iota\kappa\eta\nu$ , alteram  $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\kappa\eta\tau\iota\kappa\eta\nu$   
 qua in regia cathedra per multos annos bona-  
 rum literarum & philosophiæ curriculum de-  
 mensus est, & ornamentis suis ornauit. Vsum  
 rerum omnium magistrum imprimis sibi pro-  
 posuit, docuitq; artium liberalium fines ad hu-  
 manæ vitæ fructum referre, vt his artibus ho-  
 mines instructi prudentius de rebus agendis  
 deli-

Illustranda-  
 rum artium  
 Methodus.

V I T A.

deliberarent, deliberatasq; paratius ac prom-  
ptius exequerentur. Grammaticam multitu-  
dine praeceptorum infinitam ad certa loquen-  
di praecepta, eaq; puerorum captui accommo-  
data restrinxit. Vt enim vasa oris angusti su-  
perfusam humoris copiam respuunt: sic tenel-  
la puerorum ingenia perspicuitatem & do-  
ctrinae amant compendia, confusasq; regulas  
non recipiunt. Rethoricam Audomaro Ta-  
leo tradidit arte breui describendam, quam ex  
Platone, Aristotele, Isocrate, Cicerone, Quin-  
tiliano confluxit. Dialecticam per annos tri-  
ginta exemplis insignibus Poetarum & Ora-  
torum illustravit, & quemadmodum periti  
Architecti non tantum lateres & reliqua ma-  
teriam congregant, sed disponunt & aptant  
aedificio: sic Inventionis & Dispositionis par-  
tes definitionibus, partitionibus, popularibus  
& perspicuis exemplis inter se certis principiis  
& legibus copulavit. Ethicam & Physicam  
Cygneo stylo morte iam imminente illustra-  
bat. Quid vero in Mathematicis annis 12. eni-  
xus fuerit commemorare dignum est. Sub Oron-  
tio Fineo qui primus Regia professione in Gal-  
liam Mathematicas artes attulit, Mathemati-  
cis disciplinis incumbit: & quum optimam pro-

Ethicam &  
Physicam Ra-  
mus immi-  
nente iam  
morte illu-  
strabat.

Singulare  
eiusdem in  
Mathemati-  
cis studium.

*ficiendi rationem esse intelligeret, docere alios  
quæ didiceris, in gymnasio Cenomano sex pri-  
mos Euclidis libros cum sphaera publicè legit.  
Euclidem Latinum epistola sua commendat,  
Ioannem Penam ingenio & eruditione nobi-  
lissimum adolescentem Mathematicum pro-  
fessorem designari curat: quo initio suæ profes-  
sionis humanitus sublato, Ramus hoc onus in  
se suscepit, ut Mathematicum Latinis Græcisq;  
literis barbarum à regia cathedra excluderet.  
Et quum gratia aulica, imò Regis diplomate  
ἀμυστος ille hanc dignitatem ambiret, Ramus  
Academia decanus constitutus ad Senatum  
Parisiensem causæ cognitionem defert: in quo  
anno M. D. LXVI. habita elegantioratione,  
Mathematicas disciplinas ab imperiti homi-  
nis audacia vindicat. Forcatellum eligi curat  
in Mathematicis peritissimum, sed Gallicè tan-  
tùm docentem: cuius tamen & Friderici Reif-  
neri, Mathematici Germani, nec non Arnol-  
di Ossati vsus opera, totum se Mathematicis  
disciplinis publicè docendis deuouit. Illos certè  
studiorum & vigiliarum suarum socios assu-  
mere non erubuit, recordatus Posidonii & Ze-  
nonis, multorumque aliorum quorum ope M.  
Tullius in Philosophia vsus est. Nec in Ramo  
hoc*

hoc factum minus laudandum est quam in Aristotele, qui Physica pertractans, à piscatoribus, venatoribus, aucupibus, & omnium generum opificibus rerum naturam est perscrutatus. Quo verò animi ardore Mathematica sit persequutus, testantur in Germania Camerarius, Hieronymus Wolfius Augustanus: in Italia, Comandinus Fernesiae Bibliothecae praefectus, Angelus Papius Doctor Bononiensis in iure Ciuili clarissimus, Arnaldus Ferrerius Regis apud Venetos legatus: in Britannia verò Acontius & Dius: hi, inquam, omnes ad quos de Mathematicis libris, eorumq; authoribus perscripsit, viui & mortui testabuntur: ipse denique Ramus productis in medium tabellis, quàm incredibili Mathematicũ amore flagrauerit, postea testabitur. In Euclidis certè æigmatibus soluendis non semel corpus debilitauit, & ex quindecim elementorum libris, Arithmetices libros duos, & Geometriae septem & viginti collegit, quibus res totius vniuersitatis numerare, & omnium figurarum latera metiri compendio facili vnusquisq; possit.

Vide infra  
Testamentũ  
Rami.

Atque hæc de ipsius studiis Philosophicis, nunc verò qui animi & corporis mores fuerunt opera pretium erit intelligere. Corporis

Mores ani-  
mi & corpo-  
ris.

PETRI RAMI

*Statura fuit grādis, aquabilis, & verè heroica, vultu semper ad cælū erecto, generosa natura minimè dissimili, & pulcherrimo: oris venustas nō vulgaris: vocis, motus, laterum, pectorisq; magna elegantia. Viētus ratio erat carniū plerunq; elixarū: parcius in prandio propter diurna studia, largius in cæna vescēbatur: à qua per tres horas deambulabat, & cū amicis hilariter colloquebatur. Ante galliciniū semper surgebat: & totū diem scribendo, legendo & meditando consumebat. Patiens fuit laboris: & discēdi avidus: Etenim nō erubescēbat à doctōribus, & discipulis multa in dies querere & laudis aculeo proposito ad virtutem omnes cohortabatur. Voluptatē tanquā malorū omniū escā, & Reipublicæ literariæ pestem fugiebat. Noctē decumbebat super stramine: plumas in lectō etiā peregrè proficiscens ferre nō poterat. Abstemiū fuit viginti annorū spatio, & vinū nunquā bibisset nisi eo ex Medicorū sententiā ad valetudinē conseruandā necessario utendum fuisset. Cælebs vixit honestissimè, ab scortationis nō tantū crimine, sed etiā suspiciōne semper immunis: colloquia obscæna, utpote quæ bonos mores corrūpunt, tanquā toxicum fugiebat. Hanc cōtinentiā in victu & temperantiam*

V I T A.

rantiam vitæ consequuta est integritas valetudinis, rarissimeq; graui morbo laborauit, nisi ophthalmia, quam credibile est ex vigiliis immodicis contraxisse. Inedia & exercitatione, præsertim parua pila (quam Galenus excitationem ad bonas artes vocat) non medicamentorum vsu, solebat sanitatem tueri & recuperare. Constantia porro & animi magnitudo fuit in Ramo incredibilis: in rebus siquidem prosperis non insolescebat, & in aduersis nunquam animum remisisse visus est, illudq; sæpè in ore habebat,

Optima est seruandæ bonæ valetudinis ratio.

-----Dabit Deus his quoque finem.

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

QVID patientiam eius in ferendis & condonandis aduersariorum contumeliis recenseam? quibus nihil vnquam respondisse (excepto vno Scheckio Germaniæ Philosopho, idq; grauissimis de causis) certum est. Thrasybuli denique à multis imitatus acceptas iniurias vltus est nunquam, sed Socratica, & vt melius dicam, Christiana tolerantia & benignitate erga aduersarios vsus est. Φιλανθρωπος & humanus fuit, alienus ab auaritia & assentatione: nec vt Romanorum imperatori Vespasiano, suavis fuit Ramo luxuri odor ex re qualibet.

PETRI RAMI

Nam inter cetera referam quod cuidam respondit, qui in Poloniam legatus, Ramo, ut secum proficisceretur ad Henrici, qui nunc est, Galliarum regis laudes decantandas, magno pretio persuadere conatus est. At verò, ait, Oportet Oratorem non tantum dicendi peritum, sed virum bonum esse: nec viri boni lingua venalis esse debet. Eloquentia ad questum non est abusus, sed sudore & labore corporis animiq; proposita sibi studia sustentavit. Eloquentiam Dei donum & prophetiam sanctam vocabat: neq; Oratorem mentiendi artificem esse, libro secundo Commentariorum cap. II. scripturae sacrae testimoniis comprobatur. Quae autem fuerit ipsius erga pauperes ἐλεημοσύνη, testantur hodie plerique quos in bonis literis educandos suis sumptibus curavit, memor Regina illius Carthaginis,

Ramus pauperum studioforum  
Mecenas.

Non ignara mali miseris succurrere disco.  
Solebat etenim in patriam proficiscens bona indolis iuvenes pauperes suis sumptibus fouere, eosq; in Academia Praelea bonis informabat disciplinis: ex quorum numero plerique supersunt viri doctissimi, qui Ramum Mecanatem & parentem suum agnoscunt, & defunctum amore non mediocri prosequuntur. Praeleum

V I T A.

leum adificauit splendide: & supellectile munda vestibusq; ornatis utebatur, mediocritatē laudandam sequutus, de qua Horatius,

Auream quisquis mediocritatem  
Diligit, tutus caret obsoleti  
Sordibus tecti, caret inuidenda  
Sobrius aula. &c.

Harum omnium virtutum custos fuit Pietas, qua patriam & parentes vnicē amplectebatur. Matrem enim viduam, selectissimam matronā, apud Veromanduos agentem, quā frequentissimē cum muneribus inuisebat, illamq; Lutetiam sepius euocauit, & corā amicis honestioribus omni officiorum genere coluit & obseruauit. Recordatus est etiam beneficij quod auunculus contulerat, & quod solent Ciconia iuuenes, natura bonitate seniores alere, id officium in auunculo sene Ramus piē prestauit. Quæ quā vera sint, quū testamentum sit testimonium mentis & morum, ex Rami testamento, quæ fuerint ipsius egregia virtutes aduersarij etiam doceantur.

Rami αἰ-  
πικαργία

TESTAMENTVM P. RAMI.

IN nomine Dei Patris, Filij, Spiritus sancti, Ego Petrus Ramus, professor Re

PETRI RAMI

gius in Academia Parisiensi, animo quidem corporeque valens, de vita autem cogitans cum per se debili, tum incertis susceptæ ad inuisendum nobiles externarum gentium Academias peregrinationis casibus obiecta, testamentum ita condo statuoq; Animum Deo (à quo factus est) in cœlestem beatorum familiam adoptandum commendo, corpus terræ, vnde ortum est, in iudicii diem committo. E vectigali meo septingentarum libellarum in Parisiensi basilica annuarum lego quingentas in stipendium Mathematici professoris, qui triennio Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Opticam, Mechanicam, Astrologiam, Geographiam, non ad hominum opinionem, sed ad logicam veritatem in regia cathedra doceat. Primum Fridericum Reisnerum in tres primos annos professorem eligo, nomino, creoque, vt inchoata communibus vigiliis opera Optica, præsertim & Astrologica perficiat: quo tempore si ad methodum Mathematico præmio propositam perfecta aut effecta studiosè seduloq; curauerit,

uerit, triennium alterum prorogo: exacto triennio si quid secus, aut sexennio si ex optato votoq; faxit, nouam electionem à Professoribus Regiis sic institui volo. Professionis examen, & iam Professione ipsa perfuncto, & cæteris omnibus cuiuscunque nationis Mathematicum studiosis à Collegii decano in tertium mensem promulgator. Interea prælegendi & ingenii explicandi demonstrandiq; facultas candidatis esto. Ad examen nemo nisi Latinis Græcisq; literis & ingenuis artibus præter Mathematica reliquis instructus admittitor. Trimestri promulgationis præterito, candidati, præsentibus aut certè rogatis atque inuitatis Senatus præside primo, primoque Oratore regio, tum mercatorum præfecto, deinde Professoribus regiis, omnibusque omnino quibus interesse libuerit, publicum examen subeunto, prælegendo septem diebus horam vnã de præcipuis singulorum mathematicum capitibus, octauo die respondendo & satisfaciendo problematis & theorematis omnib. quæ contra à quo-

PETRI RAMI

libet proposita fuerint. Ex omnibus  
 examinatis qui iudicio Professorum re-  
 giorum omniumq; Matheseos perito-  
 rum aptissimus, ad Mathematicam pro-  
 fessionem videbitur, in triennium pro-  
 ximum eligitor, primaq; prælectione Ma-  
 thematum laudibus iuuentutem ad ca-  
 pessendum laudatæ scientiæ studium  
 exhortator: deinceps triennio quoque  
 examen consimile esto. Vt tamen Pro-  
 fessor qui antè fuerit, cæteris vel pari-  
 bus candidatis anteponatur. Si quo tem-  
 pore vnicus omnium Matheseos par-  
 tium peritus inueniri non possit, propo-  
 situm stipendium duobus diuiditor, qui  
 sesquianno descriptam Professionem  
 æquis partibus exequantur. Præfectum  
 mercatorum & Ædiles, in quorum cu-  
 stodia basilica vrbs posita est, oro vt in  
 perpetuam Parisiensis Academiae gra-  
 tiam, vectigal illud perpetuum esse ve-  
 lint, vt si fortè redimatur pecunia, in  
 annum redditum collocetur. E reliquis  
 ducentis libellis lego centum Honora-  
 to Carpenterio auunculo meo, eiusq;  
 vxori si superfuerit, & post vtriusque  
 obitum

Ramus le-  
 gat Vecti-  
 gal perpe-  
 tuum quin-  
 gētarum li-  
 bellarum in  
 Mathemati-  
 ci professo-  
 ris stipen-  
 dium.

V I T A.

obitum filix eorum iuniori & eius liberis : centum libellas reliquas Alexandro sororis meæ filio , si tamen progressum in litteris hoc munere dignum iudicio meorum procuratorum fecerit : secus , quotannis distribuuntur duobus doctissimis omnium & discendi studiosissimis Prælei gymnasii alumnis in quinquennium tantum , & deinceps succedentibus aliis duobus consimiliter . Bona paterna maternaq; legitimis hæredibus relinquo . Quæcunque mihi à gymnasio Præleo debentur , in arbitrio procuratorum meorum constituo . Bibliothecam & supellectilem reliquam , nominaque omnia lego , semisse altero pauperibus alumnis Prælei gymnasii , altero procuratoribus executoribusq; mei Testamenti Nicolao Bergeronio , & Antonio Loyfello , discipulis quondam meis , modò aduocatis in Senatu : quibus quod ad quingentarum libellarum vectigal attinet , Decanum Regii collegii custodem adiungo , & mortuis substituo . Scriptum mea manu , signatumq; Lutetiæ Parisiorum in

PETRI RAMI

gymnasio Præleo. anno salutis 1568. Ca-  
lend. Augusti.

Religio. *Haectenus de Petri Rami studiis Philosophi-  
cus & moribus dictū est: caput unum & præ-  
cipuum sequitur de ipsius religione & morte.  
Præcipuum, inquam, quia sordescunt ceteræ  
omnes virtutes, nisi legitimo Dei cultu & pie-  
tate ornentur. Ramus itaque obseruantissimus  
fuit Pontificia religionis, in qua primū edu-  
catus fuit: sed quum ex sacris literis verū Dei  
cultū deprehendit, cæpit pedetētim à tenebris  
Papatus deficere, Christianæ Religionis solem  
assiduus precibus & votis exoptans. Quod  
ipsius ad regem Galliarum oratio disertè te-  
statur. Ego tibi, Rex, (ait in oratione de Pari-  
sensi Academia reformanda) non solum Ale-  
xandri liberalitatem, Traiani bonitatem, Ca-  
roli Magni virtutem, Ludouici undecimi no-  
bilitatem, sed supra omnes humanas laudes al-  
tissime eminentem veram pietatem & reli-  
gionem exopto. Huius zelo inflammatus, pu-  
blica cōcione Parisiensis scholæ monachos gra-  
uiter admonuit, vt puriorem theologiam ex  
Euangelio, relictis Sophistarum lacunis, disce-  
rent. Idola gymnasij Prælei amoueri & recon-  
di iussit ne conspicerentur. Missæ autem raro  
intererat*

Ramus idō  
la gymnasij  
Prælei ab-  
scondi cu-  
rat.

intererat. Interrogatus verò hac de re à viro grauiſſimo, ſtrenuè reſpondit, E toto vetere nouoq; Testamento nihil quidquam magis à nouiſſimis Chriſtianiſ deprauiatum & corruptum eſſe quàm ſecundum mandatum Legis & Cœnæ ſacramentum, vt homo in vtroque per ſpeciem religionis in execrabilem idololatriam laberetur. Neque tamen leuiter à patriæ religionis cultu rituq; diſceſſit, ſed ſacra diligentiffimè legit. Poſſiacenſi denique ſynodo interfuit. Quum verò à Carolo Lotharingo Cardinali de quindecim à Chriſto ſeculis primum verè eſſe aureum audiuiſſet, reliqua quò longius abſcederent eò eſſe nequiora atq; deteriora, Chriſti & Apoſtolorum ſeculum renouandum & ſibi deligendum eſſe putauit, poſteaq; non deſtitit ſcripta excellentium Theologorum legere, & ubicunq; licuit coràm agere & communicare. Itaque quum primo bello Ciuili Gallico Lutetia omnia turbarentur, Fontis Bellaquæi bibliothecam regiam celeberrimam luſtrauit, & antiquorum Theologorũ ſcripta imprimis euoluit: ſecundo verò, Sandionyſium in caſtra Principis Condæi & reliquorum piorum confugit, vt ſaluti ſuæ conſuleret: prælii ſpectator, non præliator fuit, Pa-

Cardinalis  
Lotharingus de Chriſti ſeculo verè aureo, inſciens vaticinatur.

Veterum  
Theologorum ſcripta  
Ramus perſcrutatur.

PETRI RAMI

cis enim & toga, non belli vel armorum semper fuit amantiſſimus: quibus ne tertio ſubſe-  
 quuto bello opprimeretur, tempeſtiuè liberam  
 legationem, ad inuiſendas exterarum natio-  
 num Academiſ, à Rege impetrat. Quum  
 enim Iulianus alter, edicto ad omnia Pariſien-  
 ſis Academiae compita per falſum Regis no-  
 men publicato Chriſtianos ſcholis prohiberet,  
 imò verò, quod Apoſtata ille nunquam cogi-  
 tarat, armis expelleret, ne tertio naufragio fun-  
 ditus noſter Philoſophus periret, in Germaniã  
 profectus eſt. Vt verò Argentinam attigit,  
 Iohannes Sturmio Argentinenſis Acade-  
 mie autor, rectorq; , peramanter illum exce-  
 pit: deinde Academia tota adiunctis etiam  
 quibuſdam ad ampliorem gratulationem Co-  
 mitibus & baronibus, liberaliſſimè tractauit:  
 denique (quo die nobiliſſimæ nuptiæ in eo loco  
 celebrantur) in prytanæum ſummus urbis  
 Magiſtratus, publicæ gratulationis gratia cum  
 Sturmio Petrum Ramum humaniſſimè exce-  
 pit. At verò cum Sturmio ipſo de liberalibus  
 ſtudiis, de optima iuuentutis inſtitutione, de  
 præmiis ingenuarum vigiliarum, de præſtan-  
 tibus ingeniis ad virtutem excitandis ſermo-  
 nes multos variosq; habuit. Friburgi tantum  
 perno

Peregrina-  
 tio Rami,  
 in Germa-  
 niam.

pernoctavit, attamen manè antequam discederet, vidit in bibliotheca Erasmi Osualdi, excellentis Mathematici, præter alia pleraque singularis ingenij monumenta, Spherã ad Copernici hypotheses artificio singulari constructã: aeneis filis fabrica cõstabat, terræq; motu, cælo quiescente, cælestium rerũ species mirificè representabat. Basileam deinde venit, quæ pro suis meritis separato opere à Ramo celebrata est. Tigurũ verò quum peruenisset, Henricus Bullingerus, nomine virtutis ac doctrinæ apud omnes orbis Christiani nationes clarissimus, simulatque in urbem ingressus est, aduentus gratulator ei adfuit, cœnamq; exhibuit non tantũ letitiæ cuiusvis honore letissimam, sed eruditissimis conuiuarum Ioannis Simleri, Rodolphi Gualteri, Lud. Lauateri sermonibus longè gratissimam & suauissimam. Postridie ab eodem Bullingero deductus est in publicam aulam ad medium urbis lacum suspensam, ad quam frequentissimi ciues cuiusq; ordinis primarij conuenerãt, ut Ramo conuiuæ congratularentur. Hinc discedens Rheni Germaniæ fluuij celeberrimi oras, iisq; vicinas vrbes, diligentissimè obseruauit: Et multorum animos qui prius de ipso audiuerãt non

medio

Vide orationem quam Basileam vocat.

Bullingerus Ramo de aduentu gratulatur.

PETRI RAMI

mediocri amicitia vinculo sibi deinxit. Heidelbergæ verò non solum Professores singulos & Theologos moribus doctrinâ, insignes, sed ante omnes Immanuelem Tremellium hospitem suum, tota Europa Hebraicæ linguæ Professore longè celeberrimum, nec non Principis Palatini Senatores quamplurimos amicos sibi conciliauit. Hic Imperij primus Elector (cuius eximia pietate & sapientia Palatinatû reformatum esse Neccarus Rhenusq; perpetui testes erunt) aurea sui stemmatis imagine. P. Ramum discedentem honorauit. Francofurtum mercatu illo amplissimo nobile non modo bis lustrauit, sed Iohannem à Glauburgo, patricium, nec non Arnoldum Ingelbertum doctrina & pietate illustres, multosq; alios Senatores & ciues non tantùm autoritate & opibus, sed eruditione & grauitate præstantissimos, litterarum suarum monumentis dignos existimauit. Noribergam deinde ad excellentes generum omnium opifices, Opticæ imprimis amore abreptus fuit. Ante omnes vidit aurifices duos, Ioannem Linecerum & Venthelum de Opticæ laude inter se concertantes, qui suo quodam separato organo species visibilium quorumlibet ex tempore representant:

Princeps Palatinus Imperii Elector aurea sui stemmatis imagine P. Ramum honorat.

V I T A.

ad quod vel Apelli multis horis vel diebus esset opus. Cum utroque plurimus illi sermo fuit de organo illo cognoscendo, & saltem veluti per transfennā conspiciendo. Eadē Noriberga proposuit Ramo Archimedeeas facultatis & utilitatis infinitæ cochleas in urbis maximo & instructissimo armamētario: quarum singule Noribergensibus sunt instar multarum bombardarū, diruendis hostium arcibus ac mœntibus: proposuit in publicis & amplissimis horreis frumentū ducentos viginti tres annos mirabili cura conseruatū: proposuit Christianum, Mathematicum insignem, ipsiusq; manu Imperatori fabricatū Solis & Luna singulare perennis motus æquator: proposuit & alios multos doctrina, pietate & ingenio ciues & amicos clarissimos: Noriberga deniq; Noribergam opibus, armis, ingeniis Mathematicis, non solum præceptis, sed operibus & exemplis florentissimam toto terrarū orbe ciuitatē proposuit. Dehinc Danubius Europæorū fluiorū maximus, & Regnis Prouinciisq; ditissimus, Noriberga Augustā venienti permagnā admirationem & voluptatē pro sua amplitudine & rapiditate ei attulit, & quandā letioris aure suauitatē adspirauit. Augustā tandem ei perpla-

Laus Noribergæ.

Frumētum ducentos viginti tres annos Noribergæ conseruatum.

Danubius Europæorū fluiorum maximus.

cuit Martia fossarum, mœnium, propugnaculorum munitione, Regia viarum latitudine, magnifica priuatarum ædium architectura, & optica varietate, ut in nonnullis aenea tectares magis quàm elegãtia picturæ detineat. Sed fons imprimis placuit Archimedeis illis Noribergensiu machinis in altitudinem mirandam erectus, perq̃ varios canales deinde ac tubos in totam urbem deductus ac distributus. Bibliothecam urbis duplicem admiratus est, alteram Græcis voluminibus manuscriptis locupletissimam, alteram Latinis cuiusque generis multo locupletiozem. Quid plu-

Augusta  
Germano-  
rum Lute-  
tia.

ra? Augusta discedentem P. Ramum Augustam tamen animo defixum retinuit, & Augustam Germanorum Lutetiam vel potius Romam quandam esse persuasit. Vindelicis tandem, Rhetis, Sueuisq̃ ob restituta pacis rumorem celeriter peragratis quum per Heluetios iter faceret, Bernam præteriens tantum vidit: nec tamen sine consulis Stegeri honorifica liberalitate, nec sine Zerquinatæ, Ioannis Halleri, Benedicti Aretij, P. Chiori doctissimorum ho-

Geneua &  
Laufanna  
Christiani  
orbis deli-  
tiz.

minum amica gratulatione discessit. Inde Laufannam Geneuamq̃ contendit: quas ciuitates doctrinæ sacræ præstantia celebres Christiani orbis

orbis delicias esse affirmabat, in quibus pietatis, iustitiae, & pacis osculis amoribusq; sanctissimis veluti pabulo mortales nutriuntur. Geneva paucis habitis praelectionibus Lausannam profectus est, ibique postquam de coniungendis philosophiae & eloquentiae studiis publice & privatim docuisset, Praei sui dulcedine allectus in Galliam cogitat, & saluus Lutetiam peruenit. Sed quum reliquum vitae spatium in legendis publice autoribus impendere statuisset, mali quidam genij in odium Religionis novas contra eum turbas excitarunt. Impetrat ergo à Rege stipendia per ampla, ut non tantum privato studio artes meditando scribendoq; illustraret, sed etiam ut, sublatis impedimentis, Reformatae religionis sanctissimis exercitiis in postremum liberiùs fruere-tur. Equidem quam utilis ad pietatem ei fuerit commemorata in Germaniã profectio iudicare omnes facile possunt, testari verò est meum. Nam cum Heydelbergæ unà apud D. Immanuelem Tremellium anno septuagesimo viueremus, Gallicis concionibus semper interfuit, & sacrae Cœnae, edita primùm fidei suae cõfessione, cum magno Dei timore & cultus diuini reuerentia non semel communicauit. Ve-

Ramus Cœnam Domini Heydelbergæ primùm celebrat.

*tus & nouum testamentum indefinenter legebat, & ex singulis capitibus indicem sibi conficiebat, qui precepta atque exempla cuiusque partis ad doctrinam vel de fide, deq; fidei actionibus in Lege, vel de Precatione Sacramentorum, artificiosa ratione & via complectebatur. Tandemq; ut solent apes ex diuersis floribus suauissimum mel conficere: ita Ramus*

Quo studio  
Ramus Commentaria de  
Religione Christiana  
scripserit.

*Commentaria de Christiana religione ex priorum doctissimorumq; hominum scriptis & omnino tanquam thesaurum Theologicum sibi comparauit: maioresq; in sacris progressus fecisset, nisi pramatura & violenta morte sublatus fuisset. Quum enim Magnus ille*

Gasparus Collinius  
Galliarum Amiralus,  
Lutetiae proditorie trucidatur.

*Gasparus Colinius, Galliarum Amiralus, cum piorum nobilitate Lutetiae trucidaretur, subsequuta est per vniuersam Galliam inhumana & nefaria cedes multorum innocentium ciuium: quo facto non immanius aut crudelius quidquam vel maiorum nostrorum memoria & antiquitas vidit, vel videbunt posteri. Equidem historias scripserunt patres, indignissimamq; suorum temporum gesta quamplurima testantur: at nefariae huic proditioni simile aut par nihil vsquam lectum, visum, auditum ve fuit: Simeon Lenig; fratres, vindictae*

diēt e auiditate inflammati, ad perdendū Si-  
chemitas, religione sunt abusi. Saul simu-  
latione affinitatis cum Davide per filia sue  
matrimonium contrahenda, fraudulenter ei  
est insidiatus: Iosephus in historia Ierosolymi-  
tana narrat, Ptolomæum Abobi filium Simo-  
nem Machabæum præstantiss. illum ducem  
eiusq. filios ad Cœnâ inuitatos, conuiuioq. ma-  
gnifico liberalissimè exceptos sub eius finem  
scelestâ proditione incautos trucidasse. Im-  
mensa fertur triginta tyrannorum Athenien-  
sum sæuitia. Phalaris noua atque inaudita  
cruciandis innocentibus tormentorum gene-  
ra excogitauit. Denique Nero, Domitianus,  
eiusdemq. post eos tyrannidis successores bar-  
baræ cuiusdam crudelitatis exemplo seculum  
suum nobilitarunt. Sed ut verbo dicam, iam  
inde à creatione mundi nulla tam detestanda  
hypocrisis, nullum tam execrabile periurium,  
nullaq. tam homine indigna atrocitas extitisse  
inuenitur, qualis anno 1572. 24. Augusti  
Parisius proditoriè patrata fuit. O nuptiæ Re-  
gales, vniuersæ Galliæ funestæ! Ah conuiuia  
Thyestea, sanguine piorum madefacta! O pro-  
ditio Antichristi Romani scelerato consilio  
digna! De qua, præ animi dolore, qui ex infe-

PETRI RAMI

lici illa internecione & tot illustrium & præstantissimorum virorum orbitate recrudescit, plura hoc loco non addam: diuina porro eam & quidem proxima vindicta committens, qua tanti sceleris auctores insigniter sunt puniendi. Iusiurandi enim cōtempta religio semper Deum ultorem habuit: viri<sup>q</sup> sanguinum dies suos non dimidiabunt, & nisi resipiscant, nunquam aternos & beatos consequentur. Hoc<sup>q</sup> audeo affirmare, nullum in Gallis pacis publicæ vinculū diuturnum fore, donec Cainitarum dira iniquitas Domino ultionū grauius feriente, tandem expietur.

Itaque in illa carnificina (ut qua Petri Rami fuerit extrema sors breuiter aperiam) plebs audacia furens Præleum oppugnat, & fores effringit, latebras<sup>q</sup> perscrutatur: tandemq; P. Ramum diu quæsitum sicariorum coryphæus vnus offendit: ei<sup>q</sup> veniam frustra deprecanti vulnus in brachio infligit: & plurimis aliis ictibus postea confoditur. Ramus interim animam Deo commendans orare in hæc verba auditus est, Tibi soli peccaui, O IEHOVA, & malum coram te feci, iudicia tua veritas & iustitia. Miserere mei, & interfectoribus ignosce nescientibus

bus quid faciant. E fenestra spiritum trahens præcipitatur in aream, pedibusq; fune deuinctis per urbis sordes deuoluitur, & capite à Chirurgo quodam truncato cadauer in Sequanam fluum miserè proiicitur. Hic fuit exitus viri sapientissimi, optimi, & grauissimi, qui quum iustitiam coluerit & pietatem in vita, illa mors fuit ei via in cælum cum infinitis piis, qui in illa strage è corporum vinculis tanquam è carcere in perpetuam felicitatem euolarunt. Mortuus est itaque P. Ramus vicesima sexta Augusti, anno Domini 1572, ætatis verò circiter 57.

Post eius obitum direpta est à sicariis bonorum omnium, præsertim librorum, supellex exquisitissima: perierunt etiam multa Rami egregia doctrina monumenta, ut Commentaria in libros Aristotelis de Repub. Liber de Comitibus Romanorum, & pleraque alia, Ethica, Physica, Optica, Geometrica, Musica, Astrologica, quæ certis quibusdã de causis in lucem edere noluerat, nonnulla verò quæ paulo ante mortem amico cuidam tradiderat excudenda: breui ut supra admonui excudentur. Hæc verò Comentariorum quatuor de Religione Christiana, veluti ab incendio erepta nunc promul-

Bibliothecæ Rameæ direptio.

PETRI RAMI

gantur, idq̄ cuiusdam Galli opera, qui a<sup>nt</sup>o<sup>g</sup>ea-  
 q̄<sup>or</sup> virgula diuina ad nos vsq̄ perduxit, non  
 minori bonorū laticia quā fructu. His enim  
 commentariis pietatis doctrināq̄ lumen illud  
 illustre quod extinetū in Ramo interfectores  
 voluerāt, rursus accendi in his extremis mun-  
 di tenebris summo cum Ecclesie bono pij vi-  
 debunt & exultabunt. Enimvero, licet Theo-  
 logia suis ornata præceptis à summis Theolo-  
 gis tradita sit, cum quibus hæc Commentaria  
 Rami nulla ratione sint conferenda: attamen  
 est in illis aliquid quod piorum omnium stu-  
 dium, & benevolentiam non mediocrem me-  
 reatur. Nam P. Ramus Philosophus non tan-  
 tum fuit, sed etiam Orator, artibus liberalibus  
 instaurandis ad senectutem dies noctesq̄ occu-  
 patus: sacrarum quidem literarum semper stu-  
 diosus, sed quas serio nō attenderat antequam  
 in Germaniam proficisceretur. Itaque singu-  
 larem ingenij, pietatis, & diligentie laudem  
 meretur, quod breui temporis spatium ad eō ma-  
 gnos in diuinarum rerum cognitione progres-  
 sus fecerit. Quos si quis leues fortasse dixerit  
 aut iudicarit, hoc à me responsum habeat, fa-  
 cilius esse alienos labores negligere quā imi-  
 tari: doctrinam verò his Commentariis com-  
 prehen

prehensam piam & Orthodoxam, testem esse eius fidei quam Ramus sanguine suo obsignavit: denique piaculum esse, hanc confessionem doctrinae Christianae in terris traducere quam Angeli, Phophetae, & Christi Martyres, in caelis celebrant, & praedicant.

Habes, clarissime SIDNEIE, vitam P. Rami fidei calamo descriptam, qua cum eiusdem commentariis quatuor de Religione Christiana, praeteritis multis tibi vni nuncupo, idq; grauissimis motus rationibus. Quemadmodum enim liberi post mortem parentu nati amicis iisdemq; probatissimis commendatur: ita hic posthumus fidei & probitati tuae optimo iure committitur, qui parentem superstitem non tantum amaueris, sed mortuum colis & obseruas. Accessit praeterea D. Huberti Langueti viri hac nostra aetate celeberrimi commendatio, qui primus Philippu Sidneium, nobilitatis veram imaginem, ad nos venientem significauit. Nobilitatis veram imaginem sine assentatione te esse dico: nam praeterquam quod ex Comitum Waruicensium familia, tota Anglia illustri, originem ducis, & praclaro isto stemmate nobilis ab omnibus merito iudicaris, tua etiam virtus nobilitate omni no-

PETRI RAMI

*biliior imprimis celebranda mihi videtur. Memini eo die quo te vidi, & corporis animiq;  
egregias dotes sum admiratus, memini in qua,  
veteris illius Gregorij, qui Anglos Romam proficiscentes Angelos esse putavit. Erat in illis  
pietatis studium cum corporis elegantia coniunctum: sin secus, vultus pulchritudo illa voluptatis esca & malitiæ erat velamentum. Pietas vero quæ in ipsis tuis oculis quasi cernitur, mirabiles tui excitat amores: illamq; à te in perpetuum amari & coli conuenit, quæ ut ab omnibus ameris efficit. Hic plura de tuis virtutibus egregijs non dicam, quibus utique suspensa hedera aut præcone nihil opus est. Quum enim inter Britannos omnium populorum longè florentissimos, Elisabethæ selectiss. Reginae gratiâ, familiæ amplitudine, atque amicorum multitudine & autoritate emineas, ad res magnas & præclaras gerendas te natum esse non Anglia tantum, quæ te genuit, sed orbis vniuersus qui te nouit vno ore deprædicat. Hoc unum precor, ut quemadmodum Alexander Magnus Iliadem Homeri, Carolus V. Philippum Cominæum ad res bellicas & politicas feliciter peragendas summo loco habuerunt: sic tu Biblia sacra, & doctorum, hominum*

ad

Quo sensu  
Gregorius  
Anglos An-  
gelos esse  
existimaue-  
rit.

V I T A.

ad pietatem instituta quotidie evoluito, ex  
 quibus non tantum prudentior, sed fortior &  
 melior efficieris. Accipe igitur hac Commen-  
 taria in perpetuum amoris mei erga te  $\mu\eta\mu\sigma\iota\sigma\tau\omega\upsilon\upsilon$   
 $\sigma\omega\upsilon\upsilon$ : quae sitibi grata esse intellexero, spero do-  
 ctissimis viris adeoq; piis omnibus iucundissi-  
 ma gratissimaq; fore. Vale.

Francofurti ad Mœnum, Calend.  
 Ianuarij 1576.

Καρποφύου

Καρποφόρον θαλιεῖν ἀπικόψατε δένδρεος ὄζον,  
 Οὐδ' ἄρα κοπιόμενος δένδρεος ἦτ' ἔνχ' αἶ.  
 Οὐδ' μὲν οὖν (μὴ χαιρέτε) ἔπεσθ' ἑλυμμος ὄλωλε  
 Ζωὸς ἀτασθαλῆς ὄζος ὑφ' ὑμετέρης·  
 Σχίτλιοι, ἔποτε δὴ ξυλίησιν ἐπεφράδ' ἔοσαν  
 Ἐν φρεσὶ θεασοίλω, πιάδ' εὐνομένω,  
 ψαμ. α. Ἐργεὶ θεοσιβῆς ἀναλίγκιος ἔσσεται, ὦπ' ὦπ'  
 Ἀ' ἔναον ποταμῷ καλὰ ῥέεθρα προσφιλῶ  
 Παρπιδέασι, πὸ καρπὸν φέρφ' ὤλειον, ἠδ' εἰ  
 Εὐχαινωλεμέως φυλλιάον θαλέει.  
 Λεύσσετε Παπποσεβείας, ἀλεγνὸν ἐοργότες ἔργμα,  
 Δένδρεον ὡς Χλοερὸν ῥίζοβόλησε βαθύ.  
 Ἄδειοί, κρυεῖν πῆς περὶ ζῆς ἔγεντο σιδήρης·  
 ὄζ' εὐρυλλεῖται νῦν κλέος εὐρύτερον.  
 Τῷ δ' ἔω' ἄλλοδαπὸς τηλέκλυτον ἔνομα δήμους  
 Μνημοσύνη δοκίμοις κλείεται αἰδῆ.  
 ὄζον δὴ Γερμανοὶ ἀρήφιλοι ἀγώωνται,  
 Τηλεθάς Κελπὸς μύρεται ὄζ' ἀνήρ.  
 Ἰταλοὶ ἀγχινοὶ τ', μελαγχροές τ' Ἰβηροί  
 ὄζ' ἀειφραδέας χιροτειβῶσι βίβλους.  
 Ἡ δ' εὐ' ἀπρυγέπιο δὶ λῶκε νῶτα θαλάσσης  
 Βεταντὸς φημὴ ὄζ' ἐποιομένη.

INDEX

# I N D E X

## C A P I T V M.

CAP.	Libri I.	PAG.
1	<i>Quid Theologia sit, &amp; quòd tota salutis doctrina sacris literis contineatur</i>	6
2	<i>De partitione Theologiae, deq; fide</i>	10
3	<i>De Deo.</i>	12
4	<i>De Deo patre, &amp; eius omnipotentia</i>	16
5	<i>De creatione mundi</i>	18
6	<i>De lapsu angeli &amp; hominis</i>	22
7	<i>De providentia Dei</i>	25
8	<i>De predestinatione</i>	28
9	<i>De Iesu Christo filio Dei unico, Domino nostro</i>	33
10	<i>De conceptione &amp; natiuitate Christi</i>	41
11	<i>De vita Christi à natiuitate vsque ad passionem</i>	43
12	<i>De Christi passione, cruce, morte</i>	46
13	<i>De Christi sepultura</i>	53
14	<i>De Christi descensu ad inferos</i>	54
15	<i>De resurrectione, ascensione, iudicioque extremo</i>	58
16	<i>De ascensione in cælum</i>	61
17	<i>De sessione ad dextram patris</i>	63

I N D E X.

18	De iudicio extremo	67
19	De Spiritu sancto	69
20	Quid sit Ecclesia Dei, & quid sancta	75
21	Quid sit Ecclesia Catholica.	76
22	De communionem sanctorum	80
23	De remissione peccatorum	83
24	De resurrectione carnis	85
25	De vita eterna	89

LIBRI II.

1	De iustificatione per fidem, deq; libero arbitrio	96
2	De legis proœmio	100
3	De lege prima, ad cultum Dei	104
4	De lege secūda, aduersus idololatriã. III	
5	De lege tertia, aduersus vanum iusiurandum	124
6	De lege quarta ad sanctificandum Sabbathum	133
7	De lege quinta, ad parentes honorandum	143
8	De lege sexta aduersus homicidium	152
9	De lege septima aduersus adulteriũ	161
10	De lege octaua, aduersus furtum	172
11	De lege nona, aduersus mendacium	180
	12 De	

I N D E X.

- 12 De lege decima, aduersus cupiditatem  
187
- 13 De peroratione Legis ex ipsius premio &  
pœna 194

LIBRI III.

- 1 Quòd precatio ad legis offensas abluen-  
dum referatur, quodq; magnas vires  
habeat 203
- 2 Quòd precatio sit donum Dei, quodq; per  
Dei gloriã Hebræis, per Christum Chri-  
stianis sit informata. 205
- 3 De formula precationis, & eius diuisione  
211
- 4 Quòd initio Deus adoretur secundũ pri-  
mam & secundam legem 213
- 5 De sanctificatione diuini nominis, ad le-  
gem tertiam 217
- 6 De regno Dei merog; in mundum impe-  
rio, ad legem quartam 219
- 7 De panis precatione, ad leges tabule II.  
225
- 8 De remissione peccatorum contra quam-  
libet legis partem commissorum, vbi de  
Pœnitentia 236

I N D E X

- 9 Detentatione ad decimam legem. 244  
 10 De Epilogo Precationis, ad Dei laudem  
 248  
 11 De loco & tempore modoq<sup>ue</sup> Orationis 250

LIBRI IIII.

- 1 *Quid sit Sacramentum.* 257  
 2 De secundo Sacramenti sine è veteri no-  
 uoq<sup>ue</sup> Testamento 261  
 3 De secundo iterum Sacramenti sine è mi-  
 litari sacramento 264  
 4 *Quòd Sacramenta duo tantum sint, Ba-  
 ptismus & Cæna* 268  
 5 De Baptismo & eius primo sine 271  
 6 De secundo Baptismi sine, ex veteri Te-  
 stamento 278  
 7 De secundo iterum Baptismi sine è Chri-  
 sti & Nicodemi dialogo. 280  
 8 *Quid sit Cæna.* 284  
 9 De primo sine Cæna 290  
 10 De secundo sine Cæna per Christi ipsius  
 interpretationem 296  
 11 De prima carnalis presentie refutatione,  
 per repugnantiam primæ Cænae 305  
 12 De secunda tertiæq<sup>ue</sup> carnalis presentie  
 refu-


I N D E X.

- refutatione, ex homogenia Baptismi, &  
 analogia Hebræi paschatis 310
- 13 De quarta carnalis presentia refutatio-  
 ne, per cōsensum primitiue Ecclesie 314
- 14 Aduersus prolepsim de tropis in sacramen-  
 to 317
- 15 Aduersus alteram prolepsim de omni-  
 potentia Dei in physicis corporibus. 323
- 16 Aduersus tertiam prolepsim de incompre-  
 hensibili modo corporis Christi, & cor-  
 poralis presentia. 330
- 17 De Missa pontificia 335
- 18 De calumnia aduersus Christianos pro-  
 pter ἀρπιαγγελία, deq; exoticis & ab ho-  
 mine excogitatis verbis in questione de  
 Cœna 340
- 19 De exhortatione ad consensionem Chri-  
 stianæ pacis 343

F I N I S.

Typus generalis Theologiae.

Theologiae  
partes  
duae





# PETRI RAMI

## COMMENTARIORUM,

DE RELIGIONE CHRIS-  
tiana, Lib. quatuor.

### PRIMUS LIBER

#### DE FIDE.

**Q**UÆRIS mi Theophile nostrū  
de instituenda Theologia judi-  
cium, quasi supra ceteras doctri-  
nas hæc una doctrina Logicam  
singularem quādam requireret.  
Equidem ut sacrarum divinarūque rerum ma-  
jestatem veneror ac suspicio, sic earum singula-  
rem quāque institutionem minimè omnium  
scrupulosam scholasticis quæstionibus aut spi-  
nosam, sed popularem toto expositionis tracta-  
tionisque cursu splendidam, & illustrem esse cu-  
pio. Etenim Theologica materies ipsa omnis ar-  
gumenti varietate, omnisque orationis genere,  
divinis oraculis, prophetis responsis, poëtis  
carminibus & psalmis, historicis exemplis va-

riata, distincta, ornata est: ideoque elegantior in sacris studiis urbaniorque Philosophia nobilissimis Theologis apud grecos Clementi Alexandrino in Stromatis, Iustino, Martyri, Cyrillo adversus Iulianum, Theodoro de Græcis affectibus, Eusebio de præparatione Evangelica: apud Latinos Tertulliano in Apologetico, Arnobio, Lactantio, Hieronymo, Augustino de civitate Dei præcipue placuit. Quare ad unumquemque Theologiæ locum illustrandum, divina veteris primùm, novi que fœderis testimonia exemplaque proponito, sed humana ad irritandum auditionis lectionisve famem veluti condimenta ab insignibus Poëtis, Oratoribus, Historicis ne contemnit, non ut inde ulla religionis vel autoritas vel approbatio repetatur, sed ut planum sit Christianam Theologiam non adeo abstrusam esse: vel ab hominum sensibus remotam, quin naturali quadam luce populis omnibus illucescat, hominesque ideo humanitas ipsa ad divina studia capeffendum invitet, atque alliciat. Scholasticorum autem quorundam hominum, hunc ipsum orationis ornatum, cultumque ignorantium ideoque aspernantium spinæ & aculei non modo sacram scientiam suo splendore ac lumine spoliarunt, sed opinionum monstra (de quibus hoc tempore laboratur) altercationibus suis pepererunt. Quapropter antiquam lucem novis ejusmodi tenebris longissimè rejectis revocandam censeo. At enim tractatio ista partium, illustratioque facilior, & expedi-

expeditior est: de methodo autem viâque totius descriptionis & ordine cûm in doctrina, tum in disciplina quæstio magis ardua magisque operosa sit, quid primum, quid secundum, quid tertium, quid deinceps anteire vel cõsequi debeat, & sanè quot Theologi Doctores, tot sunt Theologiae methodi, quia vulgò existimatur, non ut syllogismum sic methodum, certa dispositionis & catholica lege constare, sed iudicium hoc cõjectura tantum & opinione hominum consistere, ut cuique pro arbitrato viam (quam delegerit) impunè sequi liceat, qua perversitate nulla in literis vel humanis, vel divinis explicandis perniciosior potuit accidere. Sed error hic in Logica nobis expositus & refutatus est, ut si quis sponte errare noluerit, habeat à quo reducatur in viam. Quapropter subductis Theologis omnibus de quibus mihi nosse vel audisse licuit, Theologum methodicum fore statuo, qui legitimam methodi viam sequutus doctrinam præposuerit disciplinæ, quique in doctrina ipsa differuerit primo loco de fide, secundo de fidei actionibus in lege, precatione, sacramentis, qui postremò disciplinam, id est doctrinæ praxin & politiam declararit: Potest enim commodè & opportunè eorum theorematum antecedens quòdque absque consequente informari & institui, non contrà. Itaque qui primus hanc methodum ad Theologiae informationem attulerit, accendet lumen singulare ad omnes Theologiae partes clarè & perspicuè pervidendum.

Quapropter quantum homini aliis studiis dedito & occupato licuit, & quidem non tam Theologiæ libros perlegendo, quàm præstantes Theologos de rebus præcipuè controversis interrogando & percunctando, hætenus placuit ad istam tractationis methodique speciem tibi rudia quædam doctrinæ Christianæ lineamenta ducere, quæ tu polito limatòque judicio polires & limares, vivisque coloribus exprimeres. Verumenimvero ne tuis istis quamlibet vivis coloribus colores alios luculentiores reticeam, voti de Theologico studio primi summique reum me maxima lætitia profitebor, si duo sacris literis accessisse cognovero: Primò si conversio veteris novique fœderis ex Hebræo Græcòque fonte non solum in Latinam, sed in vernaculam cujusque populi linguam verius & fidelius expressa sit. Hoc enim opus longè majus est, quàm in speciem videatur, nec nisi publico sumptu potentium vel civitatum vel principum, nec à paucis opificibus expediri absolvi que possit: optarem enim ad istam interpretationem linguarum, rerumque ipsarum scientia interpretes præstantissimos, qui in isto labore omnem sibi ingenii industriæque laudem & gloriam collocarent. Itaque regum propria hæc gloria fuerit: Sic Ptolomæo secundo apud omnes nationes vera Dei notione imbutas perpetuò gloriosum erit liberalitate ipsius regia per septuaginta Hebræos interpretes vetus testamentum græcè conversum esse. Sed

his omnibus conuersionibus perfectiorá peritis & accuratior exoptatur. Secundo loco optarem, cum sacri libri essent ex voto conuersi, elenchum locupletissimum, non alphabetico, sed methodico ordine constructum, quo omnia totius scripturæ & maxima & mediocria & minima siue præcepta, siue exempla, siue alia quavis argumenta essent, ad singula illa doctrinæ Christianæ capita referrentur, sylvæque tot tantarumque rerum licet amplissima latissimæque, tamen brevibus compendiariis que numerorum notis artificiosè comprehenderetur. Verborum elenchus, quam concordantiam vocant: mirabili quidem labore ac sudore congestus est, & Theologiæ studiosis mirabiles quoque commoditates attulit: At hîc rerum elenchus comparatis undique locis ejusdem generis omnibus non solum ordine subiceret ante oculos uniuersam quaque de re totius scripturæ sententiam, sed ipsa comparatione verum (sicubi controversum esset) eliceret & explicaret: veraque discordantium de sacris literis opinionum concordantiam efficeret. Index denique unicus, quoniam de diuinis rebus non aliter, quam per diuinas scripturas agendum sit, immemorabilem & Hebræorum, & Græcorum, & Latinorum, & vernaculorum interpretum diligentiam industriamque superaret. Quamobrè Deus Opt. Max. cõmunibus precibus obtestandus & exorandus est, vt excellentes artifices excitet ad maximæ artis maxima beneficia hominũ generi conferendũ,

*CAP. I. Quid Theologia sit, & quod tota salutis doctrina sacris literis contineatur.*

**T**HEOLOGIA est doctrina bene-  
 vendi. Sic Psal, 119. Verbum tuum  
 est lucerna pedi meo, & lux semitæ  
 meæ, id est recta vitæ institutio. Et  
 in eodem Psalmo: Quo puer diriget viam suam?  
 custodiendo verbum tuum. Sic Iohan. 14. Ego  
 sum via, veritas & vita, ait de se Christus, indicās  
 sua doctrina demonstrari viam qua sit ad opta-  
 tam beatitudinis metam contendendum: & ve-  
 ritatem cui sit in consiliis moralibus iudiciis que  
 assentiendum: vitam denique, cujus regulæ sit  
 in dictis & factis obsequendum: finis enim do-  
 ctinæ non est notitia rerum ipsi subjectarum,  
 sed usus & exercitatio. Sic humanæ vitæ artes do-  
 cent suis præceptis bene loqui, bene dicere, bene  
 ratiocinari, bene numerare, bene metiri, & ejus-  
 modi ex suo fine quidpiam. Theologia autē do-  
 cet bene vivere, id est Deo bonorum omniū fon-  
 ti congruenter & accommodatē: Ethica siquidē  
 paganorum Philosophia beatam hominis vitam  
 caducis & infirmis humanæ facultatis viribus se-  
 ré comprehendit & terminavit, tanquam homo  
 seipso contentus esset ad beatē vivendum, suā-  
 que natura, doctrina, consuetudine beatitatem  
 sibi per se posset acquirere, ideoque humanæ vir-  
 tutis vel habitus, vel actio, vel voluptas, vel ho-  
 nor beatos efficeret: At Theologia bonæ bea-  
 tæque vitæ caducum ab homine principium  
 nullum

nullum, mortale præmium ab homine nullum  
 statuit, sed Deum homini audiendum, audien-  
 tique sempiternum in cælo beatudinis fructum  
 pollicetur. Theologia itaque est doctrina de  
Deo divinitus hominibus oblata, & eadem ca-  
nonicis utriusque testamenti libris cõprehensa.  
 Eadem siquidem in utroque fœdere religionis  
 & pietatis regula est de peccatorum remissione  
 per Christum. Christus veteri fœdere Hebræis  
 promittitur: novo gentibus omnibus exhibe-  
 tur, & quæ obscurius adumbrantur veteri, cla-  
 rius & abundantius illustrantur novo: Hec dif-  
 ferentia duplex sola est. Sic 1. Rom. Paulus ait  
 Deum patrem evangelium, quod de filio suo  
 secundum tempus destinatum promulgavit,  
 longè antè per Prophetas in scripturis sanctis  
 promississe: & rursus 4. Roma. ait fidei justi-  
 tiam (quæ per evangelium docetur) testimoniũ  
 habere à lege & Prophetis: & sic de ampliore  
 splendore divinæ lucis prophetæ etiam vatici-  
 nati sunt. Ezechiel. 36. Dabo vobis cor novum,  
 & spiritum novum ponam in præcordia vestra,  
 auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo  
 vobis cor carneum. Et Esa. 12. Plena erit terra  
 scientia domini, perinde ac dum aquæ maris om-  
 nia tegunt. Item: Et erunt omnes docti à Deo.  
 Item Ioelis 2. quod à Petro repetitur ad præ-  
 sentem quæstionẽ Acto. 3. Vsu veniet posthac  
 (inquit) ut effundam spiritum meum super om-  
 nem carnem, & prophetabunt filii vestri & fi-  
 lia vestra, & senes vestri videbunt visiones, sed

& super servos meos & super ancillas meas effundam spiritum meum. Quapropter veteris novique testamenti differentia tota est in amplitudine, tum vocationis, tum perspicuitatis: libri autem utriusque in unam eandemque doctrinam consentientes speciatim nominatimque continent omnem cœlestem regulam canonemque (unde & canonici dicti sunt) quo beata vita dirigatur, & conformetur, contrariique errores refellantur. Iohan. 15. Omnia quæ audivi a patre, nota feci vobis ait illa ipsa via, veritas & vita. Et sic Paulus ad Timoth. 3. Sanctas literas a puero didicisti, quæ te intelligentem faciant salutis per fidem in Iesum Christum. Tota scriptura divinitus est inspirata: & utilis ad docendum, convincendum, corrigendum, instruendum ad justitiã: ut homo Dei perfectus sit ad omnem honestam actionem. Ecclesia nempe Dei (ut est Ephe. 2.) Apostolorum, & Prophetarum fundamento sustinetur. Itaque Paulus idem 20. Act. proficitur totum Dei consilium a se annuntiatum esse, qui tamen eorum omnium (quæ post ea tempora instituta sunt) annuntiare nihil potuit, ut totum Dei consilium sacris in veteri novoque testamento literis contineatur. Quomodo Ioannes ait cap. ultimo. Hæc ipsa perscripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum filium Dei, ac credentes vitam propter ipsum habeatis. Sic ait Augustinus, Tractatu 49. electa esse ad scribendum, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Item Chrysostomus in 22. Matthei

Homil.

Homil. I. Quicquid (ait) quæritur ad salutem, totum jam impletum est in scripturis. Sic Athanasius contra gentes (ait) Sufficiunt sacræ & divinitus inspiratæ scripturæ ad omnem instructionem veritatis. Sic Basilius Eth. 8o. definit cap. 21. Si omne quod non est ex fide peccatum est, velut Apostolus ait, fides autem ex auditu est, auditus per verbum Dei: Ergo quicquid extra divinam scripturam est, cum ex fide non sit, peccatum est. Itaque ait idem sermone de fidei confessione. Si verò fidelis est dominus in omnibus verbis suis, & fidelia sunt omnia mandata ejus confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate, manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ scriptura habet vel inducere quicquam, quod scriptum non est. Idemque Paulino humani testamenti exemplo, cui nihil addi, vel detrahi potest, amplius prosequitur. Sic Tertul. adversus Hermog. Adoro scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat vix illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum. Sic Hieronymus in Titum. Sine auctoritate scripturarum garrulitas non habet fidem. & idem in epistola ad Galatas. Spiritus sancti doctrina est, quæ canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuant concilia, nefas ducit: nec aliter primitiva ecclesia multis seculis sensit aut dixit. Quare tota ad beatam vitam necessaria doctrina veteri novoque testamento nominatim continetur. Atque inde si quid interpretandum,

si quid ad honestatem disciplinæ statuendū tanquam ex vniuersali & generali fonte deriuandū, & logicé concludendum est. Neque tantum modo probandum est quod scriptura dicit, sed non improbandū contra quod non dicit. Quare theologia est doctrina bene viuendi, totamque beatę vitę ac perfectam doctrinam sacris utriusque testamenti libris amplectitur.

*Cap. 2. De Partitione theologię deęque fide.*

**T**HEOLOGIA continetur fide in Deū, & fidei actionibus: humana autem philosophia beatitatem contemplatione sapientię & actione fortitudinis, temperantię, iustitięque complectitur: at Theologia istas virtutum umbras vis fidei indęque profluentium actionum coloribus exprimit atque absoluit. Fides est fiducia in Deum de ipsius beneficiis erga suam ecclesiam: ea enim proprię fides est, quę symbolo comprehenditur, cum alioqui fides generaliter totam theologiam cōplectatur, ut credatur quidquid sacra scriptura traditum est. Symbolum ipsum sic habet.

*CREDO in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terra, & in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum. Qui conceptus est de spiritu sancto, genitus ex Maria virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos: tertio die resurrexit a mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis*

*nipotentis: inde venturus iudicare vivos & mortuos. Credo in spiritum sanctum, Credo Ecclesiam sanctam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam.*

Hoc symbolum est ab apostolis aut apostolorum discipulis collectum, proditumque. Sunt enim apud Tertullianum de præscriptionibus, & apud Ireneum aduersus hæreses libro primo quædam generis huius capita. Et Rufinus arbitratur ab apostolis ante discessionem, symbolum hoc tanquam catholicæ & apostolicæ fidei tessera quamdam fuisse discipulis traditam. Certè omnium patrum consensu laudatum & probatum est, quia summam Christianæ fidei historiam reuera complecteretur, & è sacris literis totum deducere tur. Capita symboli duo sunt, primum de Deo, secundum de ecclesia Dei: Hæc enim duo capita summam quandam doctrinæ Christianæ continent, & tamen etiam per universam doctrinam præcipue extant atque apparent, ideoque præcipue spectanda nobis & consideranda.

*Credo in Deum*] Phrasîs hæbraica est, pro in Deo spem fiduciamque omnem colloco: & hoc verbum Christianæ fidei hîc proprium est. Itaque si quid sit tibi summè charum, gratumve, id tibi Deus erit. Sic venter est Deus ventri deditorum, Philipp. 3. Sic nummus avarorum Deus & avaritia idololatria, Coloss. 3. Credo igitur, id est confido. Sed confidentiæ etiam intelligentiæ & notitiæ conjuncta est, & singulari numero

id effertur, ut singuli de sua fide certi sint, quia iustus sua fide victurus est, Abacuk 2. Et tamē hac eadem confessio etiam totius ecclesiæ est: sed tanquam unius corporis, ē membris variis constituti, & una eademque & veluti singulari voce confitentis: *Credo in Deum*. Quis igitur & qualis sit iste (quasi diceret credentiæ, spei, fiduciaque Deus) mox plenius exponetur. Deus enim generali philosophorum notitia Deus esse potuit: At Deus in quem non similiter crederetur, a quo non perinde speraretur, cui non per æquē fideretur: Deusque Hebræorum & Christianorum vetere novoque testamento manifestioribus & insignioribus notis explicatur.

Cap. 3. De Deo.

**D**EUM.] Deus est spiritus æternus, infinitus, optimus. Sic enim appellatur spiritus Ioan. 4. Ideoque in spiritu & veritate adorādus. Et sic ab Aristotele & Philosophis aliis dicitur expertis partis, magnitudinis, divisionis id est spiritus. Deus etiam est æternus. Sic 1. Timoth. Rex nempe seculorum & immortalis. Sic Iesa. 40. an non audivisti quod Deus æternus Iehova? Item 1. Rom. æterna ipsius tum potentia, tum divinitas perspicitur ex mundi creatione. Deus igitur est spiritus æternus: atque ex hac æternitatis notioe proprium Dei nomen factum est Iehova, quia semper fuit, & est, & erit. Et sic 3. Exod. 14. de suo nomine interrogatur a Mose, Deus respondet,

det, Sum qui sum. Sic dices filiis Israël. Qui est, misit me ad vos: ubi verbo *Ehejeh* usus est Hebraïstria tempora significante: quæ & Ioan. Apocal. 1. 4. expressit, ab eo qui est, qui erat, & qui erit, ut Iehovæ nomine temporum omnium æternitas significetur. Hoc Iehovæ nomen Hebræis, quia quatuor hebraïcis literis effertur tetragrammatum dicitur & ineffabile, propriamque divinitatis differentiam quãdam interpretatur. Sic a philosophis Deus expers ortus, & interitus æternusque appellatur, item a poetis.

*Divinumque aternapotestas.*

Deus igitur est spiritus æternus: est etiam infinitus. Ierem. 2 3. ubi de se Deus ita loquitur: Nonne impleo cælum & terram? Sed ista divinitatis infinitas per omnia loca temporãq; diffusã multo luculentius describitur Psal. 1 39. Quo ibo à spiritu tuo? quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, ibi tu es, si straverò lectum in sepulchro, ecce tu: si assumpsero alas auroræ, si habitaverò in extrema parte maris, etiam inde manû tua deducet me, & apprehendet me dextra tua: Quòd si dixero, saltẽ tenebræ occultabunt me, at nox lux est circa me, etiam tenebræ non sunt obscuræ tibi, & nox sicut dies lucebit. Perinde est sive lux sit, sive tenebræ. Quapropter Deus omnibus & locis & temporib. adest, omniãque perpetua virtute implet, nec usquam vel unquã impletur: Rectẽque philosophus ille dixit Deũ sphæram esse, cujus centrum esset ubique, peripheria nusquam: inde poetæ cecinerunt.

Πάντη γὰρ ὄσι, πάντα τε βλέπει θεός.

*Vbiq<sup>3</sup>, enim est, omniaq<sup>3</sup>, videt De<sup>9</sup>, ait Menáder.*

*-Jovis omnia plena. ait Virgilius.*

Deus igitur est spiritus æternus & infinitus, sed ante omnia est optimus. Itaque Christus 19. Matth. 17. cùm ei diceretur: magister bone, quid faciam, ut habeam vitam æternam: respondet, cur me dicis bonum? nullus est bonus, nisi unus Deus: Ergo bonitas iudice Christo, Dei propria est: imò verò Dei majestas & splendor inde præcipuè declaratur, bonitasque ipsa seu beneficentia in Deo propriè misericordia erga homines nil nisi malum de Deo meritos appellatur: Nam cum 33. Exo. 18. Moses Deum ita rogat, Ostende mihi quæso gloriam tuam, tum respondet Deus se sua bona omnia sub oculos Moysis subiecturum: non tamen ut Moses Dei faciem ipsam intueri possit, quia lethalis mortalibus oculis talis intuitus esset, sed ut á tergo Dei posteriora videat. Tum igitur 34. Exod. 5. Transiens Deus ante Mosem clamavit. Iehova Iehova fortis, misericors & miserator, tardus ad iram & multus misericordia & veritate, servans misericordiam in millesimum, auferrens iniquitatem & prævaricationem & peccatum: & qui absolvendo non absolvit, visitans iniquitatem patrum super filios, & super filios filiorum, super tertiã & quartam generationem. Hic Deus ostendit gloriam divinitatis suæ, non solum in fortitudine & iustitia, sed in bonitate & beneficentia: id est (ut dixi) in misericordia consistere: In Deo æternitas & infi-

& infinitas laudis sunt admirandæ: in Deo autem æterna est atque infinita bonitas & misericordia. Hęc igitur Dei prima summæque gloria est, hęc omne Dei bonum: hęc singulare majestatis divinæ decus est collocatum. Itaque Plato 4. de rep. prædicat Deum esse principium, mediũ, extremum bonorum omnium: & sic Romanis Iuppiter optimus, maximus præcipuè dictus est, & quidem ante optimus (ait Tullius in natura deorum) id est beneficentissimus, quàm, maximus, quia majus est, certèque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Quare Deus est spiritus non solum æternus & infinitus, sed optimus. Hic igitur Deus utcumque descriptus esto: ad accuratè autem definiendum Deum Dei ipsius logica fuerit opus. Dei siquidem antica illa facies & gloria, id est essentialis majestas est homini imperscrutabilis & incomprehensibilis, postica tantum ex effectis & adjunctis homini cernuntur. Itaque rectè apud Ciceronem Simonides, qui cum à tyranno Hierone interrogaretur, quid esset Deus, unum deliberandi diem sibi postulavit: cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit, qui cum sapius multiplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret, quia quanto diutius considero (inquit) tanto mihi res videtur obscurior. Definitur igitur Deus ut ab hominibus potest. Sæpe à patribus definitur è suis cultoribus: ut 4. Exod. 5. Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi.

**P**ATREM.] Deus est unus essentia & natura, unus providentia, unus efficientia rerum & administratione : Audi Israel, Iehova Deus noster, Iehova unus est 6. Deut. 4. unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium qui est super omnia & per omnia, & in omnibus vobis, 4. Eph. 5. Itaque Deus unus est natura & essentia, personis tamen divinitatis & proprietatibus distinguitur. Deusque aut pater intelligitur, aut qui est a patre fili<sup>9</sup> & spiritus sanctus. Pater ipse proprium nomen non habet: definitur autem in symbolo ex omnipotentia & creatione mundi. Itaque consideratur tanquam principium & origo, causaque prima & summa rerum omnium: & ideo a poetis appellatur

*Hominum pater atque Deum rex.*

Sed appellatur pater a poetis velut epitheto, sicut hospitalis, sicut stator & usitatioe nomine Iuppiter tanquam jvans pater: quo nomine tetragrammatum illud imitari fortasse voluerunt. Et sic Hebraeorum pater appellatur 6 3. Esa. Itē 6 4. Esa. 8. At Deus pater hic appellatur relatione filii aeterni, & trinitatis persona prima nomine patris intelligitur.

*Omnipotentem*] Omnipotentia est communis tribus personis & efficientia, praecipue tamen patri ratione ordinis (quo origo filii & spiritus sancti ad patrem refertur) assignatur creatio: & haec prima definiendi & distinguendi patris ve-  
lut

lut qualitas & differentia est. Pater igitur præcipuè omnipotens appellatur. Ego sum Deus omnipotens 17. Genes. 1. Item 35. Gen. 11. Item 6. Exod. 3. Item 7. Deut, 18. Nihil timeas, quia Iehova Deus tuus est, in medio tui, Deus maximus & terribilis. Item 10. Deut. 17. Iehova enim Deus vester est, Deus deorum & dominus dominorum, Deus magnus, potens & terribilis, qui non accipit personam, neq; recipit munus. Item 11. Num. 23. Nunquid manus Iehovæ abbreviata est? Esa. 40. 12. Ipse pugillo mensus est aquas, palmo ponderavit cælos, tribus digitis appendit molem terræ, in pondere libravit montes & colles in statera. Matth. 19. Apud Deum omnia possibilia. Item 1. Apoc. Ego sum  $\alpha$  &  $\omega$ , principium & finis, dicit dominus, qui est, & qui erat, & qui futurus est ille omnipotens, Dei verò omnipotentia naturali quadam luce gentibus ac nationibus omnibus præcipuè patefacta est. Itaque poetis dicitur & pater omnipotens, & Iuppiter omnipotens, tanquam omnia moderans & gubernans. Sic apud Anaxagoram mens *μελέξει πάντα* comprehendit universa. Omnipotentia tamen nequaquã ad infinitam contradictionis impotentiam temerè efferenda est. ut Deus possit simul ita & non: nec enim Deus potest quod essentialia rei cuiquam sit, detrahere salva essentia, ac si quis essentialia proprietates neget, necessario ipsam neget essentiam. Itaque Deus efficere non potest ut factum sit infectum ait August. nec potest mori ait Theodoret.

tus, nec potest se negare nec mentiri, ait Paulus ad Timoth. Contradictio enim hîc esset simul utraque parte vera : denique ait Theodoretus dialogo tertio, Deo id est impossibile, quod ipsius verbo naturæ ac voluntati repugnat. Omnipotentia igitur sic in Deo intelligenda est, ut Deus possit quæcunque contradictionis impotentia careant. Infinita Dei miracula magnifica illa quidem & universi mundi potentia atque viribus superiora sunt : at divina manu inferiora sunt, neque ullum contradictionis elenchum affirmant : & æ poetis Linus, veré cecinit.

*ῥάδια πάντα θεῶν τελέσται καὶ αἰήνητον ἔστιν*

*Facilia omnia Deo facere, & factu difficile nihil.*  
Talem igitur omnipotentiam virtutemque infinitam in Deo credimus, quæ nullam contradictionis repugnantiam contineat.

*Cap. 5. De Creatione mundi.*

**C**REATOREM *cali & terra.* ] Altera qualitas est & differentia patris, quod sit creator mundi, & tamen eadem primæ qualitatis, & omnipotentia quædam demonstratio est : Opus enim tam singulare, tamque mirabile simul ac hominibus conspectum est, protinus omnipotens tantæ machinæ architectus animo concipitur : In principio igitur creavit Deus cælum & terram (ait Moses 1. Gen. 1.) terræ cælique nominibus totum mundum significans. Et 2. Gen. 1. Perfecta sunt itaque cælum & terra, & omnia

nis exercitus eorū: Cælum enim est, quidquid à terrā & aque globo sursum expanditur. Itaque & Hebræis (Rackia) id est expansum corpus illud nostris oculis immensum dicitur: argumentumque mosaicæ geneseos hoc versiculo præcipuum comprehenditur de creatione mundi, lucis, astrorum, herbarum, arborum, animalium: Deus igitur creavit cælum & terram: neque semel tantum creavit, sed gubernat perenni gubernatione, Psal. 33. Verbo Dei cæli facti sunt, & in spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Sic Rom. 11. Ex illo & per illum, & in illo sunt omnia. Sed Deus mundū è nihilo creavit: Quod ipsa Hebræi verbi voce (Bara) Rabinis interpretibus significatur, tamen si latina creationis significatio communis est. Præclarus igitur mundi ornatus excitare nos ad sui cognitionē debuit, sed quotidiano spectaculo assuetis nescio quomodo vilescit, qui recens intuentibus esset admirabilis. Atque ad istam saltem è confusis rebus cosmopœiam veterum philosophorum quidam accessere: mens enim diuina apud Anaxagoram πάντα δεικνύμενοι distinxit vniuersa. Et Plato in Timæo fabricatum à Deo mundum profiteatur: & ita fabricatum, vt dissolui non possit, nisi ab eo qui colligauit. Quod è Mosis theologia didicisse potuerunt philosophi non è conuersis in græcum libris, vt Eusebius de Platone opinatur: Ptolomæo enim secundo multisque post Platonem annis conuersio illa facta est, sed vel Athenis ex Hebræis è linguæ græcæ & Philosophiæ

aut etiam mercaturæ gratia profectis. Itaq; si philosophi mundi creationem Deo attribuunt. Quod & poëta, si non de tota mundi materia certè de materiæ mundanæ conformatione versibus suis inseruerunt. Sic enim mundi genesim Hesiodus, & post Hesiodum Naso describit: cùm chaos omnium rerum confusionem descripsisset.

*Hanc Deus & melior litem natura diremit,  
Nam cælo terras, & terris absceidit undas  
Et liquidum spisso secrevit ab athere cælum,  
Qua postquam evoluit cacòque exemit acervo  
Dissociata locis concordia pace locavit.*

Aristoteles 9. cap. 2. metaphys. phycas formas asseveratè nihilo instar momentorum & punctorum creari. de materia autem quod Satyricus ille meritò derideat,

*Ægroti veteris meditatatur somnia, gigni  
E nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.*

Deus igitur creavit cælum & terram, in iisque ventos, pluvias, lapides, metalla, plantas, pisces, feras, aves, angelum & hominem, denique invisibilia visibiliaque omnia, ut Niceni concilii confessio expressit: Angelos enim spiritus mentisque & rationis compotes creavit & immortales effecit, ut interpretes & ministros voluntati sue. Psal. 104. 4. Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Coloss. 1. Per filium creata sunt omnia quæ in cælis sunt, & quæ in terra visibilia & invisibilia, & throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Sed eosdem angelos fecit custodes hominum piorum  
sive

sive singulorum, sive provinciam totam constituentium. Angeli Domini castrametantur circa timentes ipsum & eripiet eos, Psal. 34. 8. 90. Psal. 12. & 4. Matth. 6. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Dico vobis quod angeli puerorū in cœlis semper vident faciē patris mei, qui in cœlis est, 18. Matt. 10. Sic angel<sup>9</sup> adfuit Petro é vinculis exempto, Sic Israelitici populi princeps & dux fuit angelus per desertum. 23. Exo. 20. 21. Item 23. Exo. 1. & deinceps. Sic ejusdem populi apud Danielem patronus est angelus: & adjuvatur a Michael. Heb. 1. Nonne administri spiritus sunt omnes in ministerium missi propter eos, qui capiūt hereditatem salutis? Sic 28. Matth. 2. Angelus é cœlo missus aperit sepulchrum Christi, confirmat perterritas mulieres, & resurrectionē Christi annuntiat. Et idem repetitur 16. Marc, 4. & 20. Ioan. 11. Angeli veró alias é communibus functionum nominibus appellantur exercitus, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, Cherubim, Seraphim: Alias videtur propriis nominibus appellari, ut Gabriel, Michael. Interdum etiam Deus apparet angeli specie, & appellatur angelus 18. Gen. 1. Item 3. Exod. 2. 4. & 14. Exod. 19. Creavit igitur Deus angelos, sed hominem Deus idem creavit é pulvere terræ. 2. Gen. 7. Et qui ideo Abrahamo dicitur pulvis & cinis, 18. Gen. 27. & creavit ad ipsam Dei imaginem 1. Gen. 6. 26. id est animæ rationalis atque immortalis compotem participémque di

vinæ justitiæ atque sanctitatis, ut Paulus Ephes. 4. & Coloff. 3. 10. à quo videtur poeta ille non procul abesse.

*Atque ideo venerabile soli  
Sortiti ingenium, divinorumq; capaces  
Atq; exercēdis capiēdisq; artib. apti. Iuv. 15. Sat.  
Sensum à cœlesti demissum traximus arce.*

Hominem (inquam) Deus creavit Deo ipsi similem, omniumque in terris & aquis creatorum dominum constituit, 1. Gen. 26. Item 3. Gen. 51. Deus igitur est creator cœli & terræ, omniumque rerum toto mundo comprehensarum, creator angelorum, creator & hominum, ut in suis operibus agnoscat & laudetur. Omnia nempe Deus operatus est propter seipsum Proverb. 16. Dignus es domine accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt, in Apoc. passim. Hic creaturarum rerum circus, hoc amphitheatrum, hæ motæ sunt triumphalis illius apud Ezechielē currus rotis quatuor duplicibus animatis, ad singulos veluti clavos oculatis per omnes universi mundi partes, perque populos, ac notiones omnes vecti vehementisque sublimi folio insidentem Dei majestatem immensa ac sempiterna gloria triumphantem.

*Cap. 6. De Lapsu angeli & hominis.*

**S**ED enim è creatis entibus duæ species rationis compotes & immortales factæ sunt angelus  
lus

lus & homo, homo saltem animo, quin etiã corpore si in Dei obedientia perstitisset: Nam ex inobedientia mors est consecuta Rom. 4. reliqua genera facta sunt mortalia. Sic Hesiodus poëticè dixit à diis facta esse ònia, sed immortalia, quæ nectar & ambrosiã gustassent, mortalia quæ non gustassent, similitudinẽ divinitatis nectare & ambrosia significans. Verum ex angelis quidam degenerarunt a veritate per mendacium & superbiam: & diaboli ideo, id est calumniatores dicti Ioan. 8. Ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit, quia nõ est veritas in eo. Et 1. Timoth. 3. ne in superbiam elatus in iudiciũ incidat diaboli. Iraque diaboli id sibi tantũ proposuerunt, ut Deum honore spoliarẽt, & hominem machinis omnibus corrumpere, a deo que averterẽt. Itaque diabolus princeps aeris, potestas tenebrarum, leo rugiens appellatur: neque enim diabolus tantum unus homini insidiatur: sed sepe multi, aliquando legio tota: frenatur tamen diabolus, ne quidquam nisi nutu Dei exequatur: & quamvis pios frequẽter exerceat, nõquam tamen opprimit: impios autẽ iudicio Dei cruciat. Itaque angeli boni mali que sunt gẽtium genii, quos Plato in Timæo a summo Deo creatos & immortalitate donatos ait: neque verò Deus & diabolus æterna duo principia sunt bonorum & malorum, ut impii Manichæi commentisunt, ut que pagani suos Ioves & Vejoves existimarunt. Nec angeli boni mali que sunt tantum hominibus (ut Saduchæi & Pelagiani deli-

rarunt, propensiones, impulsionēs & affectiones ad benè malè agendū, sed spiritus sunt, boni quidem (ut prædictum est) custodes & vindices, mali autem insidiatores & carnifices hominum. Verū tamen diabolo depravatio sui à seipso sibi non satis fuit, nisi & hominē depravaret. Homo igitur cū ita creatus dotatusque esset, & collocatus in paradiso omnium arborum expectabilem generib. consito 2. Gen. 8. 15. ut iis omnibus excepta scientiæ boni & mali arbore frui liceret, diaboli per serpentis speciem fraude seductus vitæ arboris fructu vescitur tantū Dei parētis beneficium ingrata ambitione oblitus, diaboli que vestigia sequit<sup>9</sup> altissimo similis fieri voluit, proinde que præcipuis dotibus (quibus ornatus erat) sic excidit, ut pro corpore immortali corpus non solū morti, sed mille miseriis obnoxium sibi fecerit, eque libero arbitrio, id est statu mentis volūtatisque ad bona malaque discernendum & sequendū particulam tantum, eamque peccati (ut Augustinus loquitur) servam sibi reliquerit, imagineque Dei per injustitiam & mēdacium oblita originalis peccati contagione atque ad omne peccatū propensione posteritatē totā polluerit. Servitutis huj<sup>9</sup> humanæ umbram quandam philosophi veluti lippis oculis aspexerūt. Plato in rep. manifesti<sup>9</sup>, cū variis cupiditatis & iracundiæ bestiis humanā mentē subiectā atq; alligatā describit. Aristo. 2. cap. 1. Phil. obscuri<sup>9</sup>, cū ait liberrimā sapientiæ possessionē divinam esse, *πολλὰ χῶς γὰρ ἡ φύσις δὲ ἀλλήτων ἀνθρώπων ἔστι*: mul-

tis enim modis natura hominū serua est: & stoi-  
cum paradoxum est, solum sapientem esse libe-  
rum: sed Philosophi hunc nostrum sola divina  
gratia liberum perobscuré cognoverunt. Ad  
lapsum igitur hominis restituendum victima à  
Deo patre (à quo omnia in æternum futura ma-  
xima, mediocria, minima provisā sunt) vel an-  
tequam mundus homōve crearentur, provisā  
est: Agnus quippe immaculatus Christus, 1. Pet.  
1. Origenes diabolo atque Angelis eius etiam  
restitutionem quādam post multa diuturni tem-  
poris supplicia futuram dicitur credidisse. Sed  
illum & propter hoc, & propter alia nonnulla,  
& maximé propter beatitudinis ac miseræ vi-  
cissitudines, æternasque certorum temporum  
intervallis conversiones Ecclesia improbavit,  
ait August. 35. cap. 2. libr. de civitate. At veró  
Origenes ipse in epistola ad Alexandrinos hanc  
calumniam sibi impositam conqueritur & à se  
detestatur. Denique de restitutione diabolorū  
nullum est sacræ scripturæ testimonium, in qua  
tamen sola fundamentum fidei collocatum est:  
imó Christus ipse plané atque aperte condem-  
nat, cū ait ignem æternum paratum esse dia-  
bolo & angelis eius.

*Cap. 7. De providentia Dei.*

**F**IDE igitur credimus verbo Dei concinnatū  
esse mundum, Hebræ. 11. deumque creato-  
rem esse cœli & terræ, neque semel creatorem,

sed perpetuó rectorem & conservatorem etiam pullis corvorum alimenta suo tempore largientem, Psal. 147. Capillos capitis cujusque numerantem, 10. Matth. 29. Quinetiam sortium eventus perspicentem Proverb. 16. Hominum tutorem providentissimúmque & cōsultissimum parentem. Hanc immensam Dei providétiam, Philosophi veteres quidam prodidere. Mens illa Anaxagoræ πάντα κυβερνᾷ omnia gubernat. Et Plato plerisque locis divinam providentiam gloriosé prædicavit. Quin Poëtæ hoc idem ipsum testati sunt. Sic enim Maro de ista Dei gloria poetico more loquitur.

*Principio cælum & terras camposq; liquentes  
Lucentemq; globum Luna, titaniaq; astra  
Spiritus intus alit.*

ARISTOTELES autem videtur totam istam mundi & fabricam & providentiam cum Philosophis & Poëtis illis confiteri : vt apud Ciceronem. Si homines (ait) sub terra semper habitassent, tandemque patefactis terræ faucibus euadere supra terram potuissent, conspecto cœli ornatu, profecto & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur. Item cum sæpé ait naturam nihil agere frustra : attamen Physicam & Metaphysicam contra diuinam mundi creationem & administrationem composuit : & in Logicis affirmat contingentium omnino nihil esse jam verum. Hac Aristotelis Philosophia imbuti Epicurus, Manichæus, Celestinus totam diuinæ œconomiz provi-

providentiam, præscientiamque calumniantur, & calumniarum suarum innumerabiles sectatores habent. Itaque ista de causa ab Aristoteleis Theologiam istam edoctis Moses fabulator Ægyptius: Christiani modo ignari, idiotæ, modo *παλίνες* tanquam scelestifuriosique nominantur. Sed Aristotelis Theologiam nostræ scholæ Physicæ & Metaphysicæ retexuerunt, ne Christianus quisquam imposterum, nisi sponte fatuus atque amens Christianæ pietatis fundamentum ab Aristotelis impietate repeteret. Veruntamen heus tu homo, quisnam es, qui de providentia Dei contra Deum ipsum disputas? Iudicia Dei abyssus multa. Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria, Proverb. 25. Descende potius in te ipsum, & in iis quæ te scire arbitraris, inscientiam atque ignorantiam tuam perspicies. Vna est de grammatici virtutibus (ait Quintilianus) aliquid ignorare. Rhetoricæ & forenses artes (ut Rhetores ipsi profitentur) nihil habent catholicum & universale. Logica Aristotelis sophismatis penitus obruta est. Quis Arithmeticus numerorum affectiones omnes perspexit? quis Geometra circuli tetragonismum aut cubi *πλασιασµόν* demonstravit? Quis Astrologus constantes cælestiū corporū motus accuratè deprehendit & observavit? Nonne in Metheoris ab Aristotele nominatim statuitur satis esse tradere nō impossibilia? Hoc enim Metheorologiae suę principium sibi constituit. Quanta in reliquis

(quæ putatur) sciētis ignorātia est? Quid vis amplius? Ille ipse Aristoteles 1. cap. 2. Metaph. Philosophatur sapientiæ tantam difficultatē esse, ut ejus particulam nemo pro dignitate sit adhuc assequutus: imò verò σοφία seu Theologia (quæ libris illis quatuordecim ab eo describitur) sophistica est omnium (quæ literis unquam mandata sunt) maximè stulta maximeque impia. Quid plura? si tota hominum scientia cum inscientia comparetur: stillam aquulæ dixeris cum Oceano comparatam. Ecquid igitur si in his pusillis (in quibus tamen scientissimus tibi videris) inscientia & stultitia tua tanta est, quomodo arcā illam tam longè ab humana cognitionis imbecillitate sejunctam sapientiam tibi polliceris? Tu (ait angelus Ædræ lib. 4. cap. 1.) Quæ tua sunt in te ipso ingenita & ingenerata non potes agnoscere, & quomodo poterit vas tuum capere altissimi viam? Vt enim (ait Dominus apud Esa. 55. cap.) celsiores sunt cœli quàm terra, ita celsiores sunt cogitationes, & viæ meæ cogitationibus viisque vestris. Quare in tam sublimi altaque sapientia ignorantia pij animi doctam judicato: noli altum illud sapere, sed time.

*Cap. 8. De predestinatione.*

**P**ROVIDENTIÆ prædestinatio germana atq; affinis est, qua Deus alios ad æternam salutem pro gratuita sua misericordia delegerit, alios ad æternam perditionem pro sua justitia repudiavit.

Provi-

Providentia siquidem Logici iudicii, prædeterminationis Ethicæ electionis verbum est: & pagani Philosophi sic *προνοία καὶ ἐπιδικασμένη* providentiam & fatum conjungunt. Prædeterminationis autem & providentiæ Theologia in sacris literis amplissimè tractata est. Populus sanctus es Iehovæ Deo tuo: te elegit Iehova Deus tuus, ut sis illi populus peculiaris ex omnibus populis, qui sunt in superficie terræ: Non quia plures essetis præ omnibus populis, amavit vos Iehova & elegit vos: Vos enim eratis pauciores præ omnibus populis, sed quia diligebat vos Iehova: & custodire volebat juramentum, quod juraverat patribus vestris, eduxit vos Iehova in manu forti, 7. Deut. 6. Hic nempe Dei liber est, de quo sic 3 2. Exod. 3 1. 3 2. Si non remittis peccatum Hebræis (ait Moses Deo) dele me precor de libro tuo, quem scripsisti: & dixit Iehova Mosi: Qui peccavit mihi, delebo illum é libro meo: Hic igitur liber electionis istam nimirum ordinationem continet, cui resisti non potest: cùm Balamus á Balaco rege ad Hebræis maledicendum conduceretur, etiam si mihi daturus sit Balacus plenam domũ suam argento atque auro non possum transgredi sermonem Iehovæ Dei mei, ut faciam aliquid sive parvum sive magnum, 2 2. Num 1 8. Item 2 4. Num. 1 3. Sic Poëtis fatum velut effatum á Deo decretumque dicitur inexorabile & ineluctabile, immotum. Sed electionis argumentum in novo testamento multo est illustrius: talis enim est ex mera Dei beneficentia electio

sive Petri, Andreæ, Jacobi, Ioan. 4. Mat. 18. Itē  
 Matth. 9. Idem toto capite Matth. 20. parabola  
 de vinitoribus amplissimè declaratur. Qualis  
 gentium electio est & rejectio Iudæorum, 8.  
 Matth. 11. 12. Item. 21. Matth. 28. Item 22.  
 Matth. 1. Vnde consequitur benedictio electo-  
 rum & maledictio repudiatorum, 13. Matth. 12.  
 Evangeliumque ideo dignis annunciandum, 10.  
 Matth. 11. Item 11. Matth. 25. Huc parabola  
 seminantis referri potest 13. Matth. 1. Paulus  
 Ephes. 1. etiam manifestiùs. Deus elegit nos in  
 ipso: antequam jacerentur fundamenta mundi.  
 Et 2. Timoth. 1. Et salvos fecit nos, & vocavit  
 vocatione sancta, non secundum actiones no-  
 stras, sed secundum suum propositum & gratiã,  
 quæ data quidem est nobis per apparitionem  
 servatoris nostri Iesu Christi. Item 9. Roma. Ia-  
 cobus dilectus & Esaus odio habitus etiam an-  
 tequam nascerentur: Deusque miseratur & in-  
 durat quem velit, vitæque præmium consequi  
 neque volentis neque currentis est, sed mise-  
 rãtis Dei: vt tamen propterea de opifice Deo ni-  
 hilo iustius opera sua conquerantur quàm fi-  
 gлина de figulo, quód alia in honorem, alia in có-  
 tumeliam finxerit. Itaque vasa alia sunt iræ ad  
 perditionem comparata, quæ Deus induravit,  
 vt iram potentiamque suam demonstraret: alia  
 sunt misericordiæ ad gloriam præparata, vt di-  
 uinitas suæ gloriæ manifestaret. Hæc Apostolus  
 é Genesios vicesimo quinto capite: vbi de ge-  
 minis illis adhuc utero comprehensis dicitur  
 alterum

alterum altero fortiolem, & majorem minori tamen serviturum esse. Item 4. Exod. 21. de Pharaone ait Iehova: Ego indurabo cor ejus, ut non dimittat populum. Item 7. Exod. 3. Ego verò indurabo cor Pharaonis. Sic Ioan. 9. 2. discipulis interrogantibus quo peccato cæcus natus esset, respondet Christus, neque iste peccavit, neque parentes ipsius, sed ut manifestarentur opera Dei in eo. Ergo (inquies) peccati author erit Deus? Non magis sanè quàm si Iudas aut Pilatus Christi crucifixi culpam in Deum conferrent, quia fecissent, quæ (ut est Act. 4.) consilium & manus Dei decreverant. Alius enim in Deo, alius in Iuda & Pilato ejusdem effectus finis fuit, ut August. Epist. ad Vincentium 48. Prima causa fuit in Deo ad misericordiam erga genus hominum declarandum: secunda fuit in Iuda ad avaritiam explendum: in Pilato ad statum suæ dignitatis retinendum. Sic Iosephi fratres peccaverunt vendendo ipsum, & fratres ipsi 42. Genes. 21. confitentur. Verè peccavimus adversus fratrem nostrum, cum vidimus angustiam animæ ejus dum deprecaretur nos, & non audivimus eum, idcirco venit super nos angustia hæc: Sic (inquam) fratres confitentur, & tamen 45. Genes. 5. Iosephus ipsos consolatur: Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos. Item vers. 8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & do-

minum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. Item 50. Geneseos 19. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Quare ut idem August. ait lib. de prædest. quod peccant Satan & impii, eorum est, quod peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei est: vera denique sententia est: Pernicies tua ex te est Israel, salus ex me. Quod si quis admiratus objiciat: Nonne vult Deus omnes salvos fieri? sané. Sic enim spiritus sanctus loquitur. Ideoque etiam mandato Christi Evangelium prædicatur universæ creaturæ: Attamen (inquam) vera est etiam illa Pauli sententia de vasis comparatis in interitum, & vasis misericordiae, quæ præparavit Deus in gloriam & voce Dei temporumque exitu vera apparebit, cum dicetur illud: Ite maledicti in ignem æternum. Hæ sententiæ, si quid humanæ naturæ infirmitati repugnantes esse appareant, credamus tamen & respondeamus quod Paulus credidit ac respondit, divino judicio præclaré congruere. Itaque Christus Lucæ 13. interrogantibus discipulis de numero servandorum tantum hortatur, ut quisque attendat ingredi per arctam portam. Quare ἄρρον λόγον qui dicebatur Philosophis, Si fatum est me salvum fore, salvus ero, etiá si nihil agam, damnato. Doctam Christiani Philosophi ignorantiam existimato istum divinæ ante sæcula ordinationis πρῆταρονισμὸν ignorare, menteque ante divinæ misericordiae pedes humiliata cum Apostolo Dei exclamato. O alti-

titudo divitiarum sapientiæ Dei? Quapropter damnatis Aristotelis & Aristotelis Philosophiã secutorum Epicuri, Manichæi, Cælestini, & similibus impiorum Dei providentiam ideoque predestinationem calumniantium impietatibus, iustissima de causâ quisque nostrum, totaque simul ecclesia constanti fide, magna que animi fiducia dicat: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

*Cap. 9. De Jesu Christo filio Dei  
unico, Domino nostro.*

**E***T in Jesum*] Persona Dei patris utcunque nõ ex antica facie, sed ex postico tergo, nec ex ipsa essentia, sed ex effectis & adjunctis definita & distincta est. Deum aliquem mortales ferè omnes confitentur, nec ulla gens unquã tam barbara fuit, quæ non aliqua Dei opinione esset imbuta. Et Deum patrem appellant, sed suum non Dei filii. Deinceps est a patre persona Dei & filii & spiritus sancti.

*Jesum*] Prima differentia Dei filii est é nomine. Iesus, id est servator, nominatus est ab Angelo antequam in utero Mariæ conciperetur: & in circuncisione ex more Hebræorum (sicut in Baptismo Christianis mos est primum infantes nominari) nominatus est Iesus, 2. Luc. 21. Atque in nomine isto, ut in cognomine proximo humana simul & divina filii natura comprehenditur. Iesus enim nominatus est 1. Matth. 21.

Luc. 1. quia servaturus esset populum & liberaturus a peccatis. Quemadmodum jam a condito mundo patribus erat promissum, ut Adamo cum Deus serpenti, 3. Geneseos. 15. malediceret. Inimicitias statuam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen ejus, & ipsum conteret tibi caput. Item Abrahamo 12. Geneseos 3. 18. Genes. 18. 22. Genes. 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Item Isaac similitur 26. Gen. 4. 28. Gen. 14. Item Iacobo 40. Gen. 18. cum moriturus sic exclamat. Salutem tuam expectavi o Iehova. Notatur item hic & Christi adventus, 49. Gen. 89. Non recedet tribus de Iuda, donec veniat Messias, tanquam Christi adventus tum futurus esset, cum tribus Iuda dissipata esset. Sic enim quidam Hebræi historiam temporum secuti interpretantur. Deum patrem vetus testamētum apertissime proposuit, filium Deum obscurius indicavit. Loci tamen de Deo filio non desunt. Redemptorem enim ostendit Esaias verum Deum esse, cum Iehovam appellat. 25. Esa. 8. Perdet mortem in sempiternum, & absterget dominus Iehova lachrymas ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet ab universa terra, quia Iehova loquutus est. Item 40. Esa. 3. Vox clamantis in deserto repurgate viam Iehovæ, rectam facite in solitudine viam Dei nostri. Hic redemptor & servator aperte appellatur Iehova & Deus. Sed in novo testamento Deitas filii clarissima est. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? ait Baptista, 10. Matt.

2. Sic Thomas ad Christum, 20. Ioan. 28. Dominus meus, & Deus meus es. Et modó quod dicimus, Credo in Iesum, hoc ipso credendi testimonio Iesum esse Deum confitemur. Tamen si Arrius qui inter Apostolorum & Niceni concilii tempora intercessit, nihil videtur Apostolica ista confessione motus cum ad eius impietatem coercendam Nicena synodus Apostolico Symbolo addiderit Iesum esse verum Deum, de vero Deo genitum nō factum, ὁμοούσιον coessentialera patri. Servator igitur humani generis Christus verus Deus ita promissus erat, & quidem servator solus Matth. 1. Non est in quoquam alio nisi in Christo salus. Item non aliud nomen est sub cœlo in quo oporteat nos salvos fieri, Actor. 4. Hæc igitur nota est divinitatis: est enim Dei proprium servare. Sic Stephanus moriens servatorem Christum confitetur: Domine Iesu Christe suscipe spiritum meum. Et Apostoli in Epistolis eadem a Christo beneficia, quæ a patre comprecantur. Itaque Deus filius Iesus vel servator appellatur. Duplici siquidem velut ære alieno nascentes obligamur: debemus obedientiam tota vita perfectam: Christus vivens pro nobis exhibuit: debemus pro peccato originis satisfactionem, Christus pro nobis moriens satisfecit. Quæ propter in istam primam nominis differentiam antica divinitatis facies cum humanitate inclusa est, Iesus *θεὸς ἰσχυρὸς* Deus homo est.

*Christum.*

SECUNDA differentia est de filio Dei ex

ipsius cognomine . Christus cognomen ipsius  
 Iesu, 1 . Matth . 16 . Iesus qui dicitur Christus.  
 Christus tamen commune nomē est, ut prophe-  
 ta, sacerdos, & Christus Græcis, unctus Latinis,  
 Messias Hebræis dicitur. Sic apud Ioan. Andreas:  
 Invenimus Messiam, quod est ( si interpreteris )  
 Christus: quomodo & Christi pleriq; etiam alii  
 dicuntur, omnes quippe spiritus gratia aspersi.  
 Sic facti nō ordinaria successione uncti sunt, tum  
 sacerdotes ut Aharon cum filiis duobus & Sado  
 co, tum reges Saulus, David, Salomon: E prophe-  
 tis autem unus Elisæus etiam unctus est: uncti  
 (inquam) ita & sacerdotes & reges, & é prophe-  
 tis Elisæus. Iesus igitur per synecdochem genera-  
 lis pro speciali propter excellentiā Christus ap-  
 pellatur. Christum enim suū Deus unxit oleo læ-  
 titiæ præ confortibus suis, Psal. 45 . Dedit illi Do-  
 minus spiritū non ad mensurā, ut cæteris, sed fon-  
 tem gratiarū omnium in eum effudit, ut inde om-  
 nes hauriamus. Et Paulus 1 . Cor . In quo sunt  
 omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi.  
 Item 2 . Coloss . In ipso inhabitat omnis plenu-  
 do Deitatis corporaliter: id est re ipsa ac veritate  
 essentia & natura . Sic enim *σωματικῶς* Græcis est  
*ὑποστατικῶς* . Summus igitur & insignis propheta,  
 Messiasque ille promissus hīc intelligitur . Et E-  
 saias ita prædixerat, & prædictum de se ita Chri-  
 stus ipse, Luc. 4 . interpretatur . cūm Esaiæ obla-  
 tū librū aperuisset, nactus est locū, ubi ita scripū  
 est . Spiritus Domini super me, quia unxit me,  
 misit me ad Evangeliiū pauperibus prædicandū,  
 ad

ad sanandum contritos corde, ad publicandum captivis libertatem, & cæcis visus restitutionem, ad afflictos sublevandum, & annum Iubileum annuntiandum. Sed prophetam multo ante Moses prædixerat Deut. 18. 15. Suscitabit tibi prophetam mihi similem é medio fratrum tuorum, vos eum audietis. Itaque ut nomen Iesus, sic cognomen Christus anticam illam divinitatis speciem includit. Atque ex isto cognomine sequenti doctrinam Christi, Christiani propriè sunt appellati, quod Antiochiæ primum Paulo Barnabæque plerosque convertentibus accidit, Act. 11. 26. cum prius communi tantum nomine fratres & discipuli dicerentur.

*Filium ejus.*

CHRISTI divinitas & humanitas iterum hîc conjunctè cõprehenduntur. Christus enim appellatur secundum naturam divinam Dei filius à patre ab æterno genitus, Psal. 2. Narrabo decretum quod Iehova dixit mihi, filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod & Apostolus 1. Hebræ. sic usurpavit. Tanto præstantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis sortitus est nomen: Nam cui dixit unquam Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? Idem repetitur 13. Acto. Sic 22. Matth. 41. Christus ipse é IIO. Psal. 1. demonstrat Christum filium Dei secundum divinitatem fuisse, cum Phariseos sic interrogat: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei Davidis: Dixit eis:

Quomodo ergo David per spiritum vocat eum dominum? dicens: Dixit Iehova domino meo, sede ad dextram meam, usque dum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere quicquam, neque ausus fuit quisquam ab illo die amplius eum interrogare. In his igitur Psalmis planum est e novo testamento Christum Dei filium secundum divinitatem appellari. Itaque 8. Proverb. 23. æterna Dei sapientia talis describitur. Iehova possedit me principio viæ suæ, ante opera sua ex eo tempore a seculo principatum habui, a principio ante terram. Sic idcirco Paulus 1. Corint. 1. Christum prædicamus Dei virtutem & Dei sapientiam. Christus æterna Dei sapientia his locis appellatur sicut Ioan. 1. In principio erat λόγος, id est sermo, ut filius Dei, sapientia Dei, λόγος Dei sit idem. Neque verò Christus tantum Deus est, sed divina patris nulla est, nisi per filium noticia, 1. Ioan. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille filius, qui est in sinu patris, ille nobis exposuit. Item 11. Matth. 27. Omnia mihi tradita sunt a patre meo, nemo novit filium nisi pater, neque quisquam patrem novit, nisi filius, & cuicumque voluerit filius indicare. Dicitur etiam Christus Dei filius secundum humanitatem ratione conceptionis, de qua mox dicetur. Aliquando etiam communi ratione filius dicitur, ut Luc. 1. 3. 2. Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur. Item Luc. 1. 35. Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. ut 3. Matth.

Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, & eodem modo 17. Matth. 5. Sic Matth. 13. cum Christus aliis Propheta, aliis Elias, aliis Ieremias, aliis ex Prophetis unus videretur, tum Petrus ait, Tu es Christus filius Dei vivi. Denique cum adjuraretur Christus à Pontifice per Deum viventem, utrum esset Christus filius Dei: Iesus respondit, Tu dixisti, 16. Matth. 63. De illa verò genita per patrem sapientia etiã quippiam gentes inaudierant, quæ Palladem sapientiæ Deam cerebro lovis genitam fabulantur. At nos Christum Dei filium Apostolica fide confitemur, qui definito à Prophetis tempore, humana specie & natura hominibus apparuit, ut genus humanum à peccato liberaret, cœlestisque vitæ fructu sempiterno bearet. Itaque Deus pater supra nominatus est, à quo nempe filius ab æterno genitus, quatenus Deus, & in tempore quatenus homo esset. Homines verò filii Dei adoptione & dignatione appellantur: quibus Deus dedit dum filium ejus agnoscerent etiam filios Dei fieri, Ioan. 1.

*Unicum Dominum nostrum.*

FILIVS Dei unicus & solus est eadem cum patre essentia, naturæque genitus, non adoptione aut nuncupatione aut communicatione aut alia dignatione, ut homo, ut etiam Angelus est. Adfuerunt Dei filii, unaque Satan. Job. 1. 2, 3. ubi Angeli appellantur filii Dei. Arrius essentiam divinitatis Christo detrahebat, adoptionem filii concedebat. Itaque ad Arrianam impietatem coercendum Christus patri non *ὁμο-*

οιος similis essentia ( ut Arrianis videbatur ) sed  
 ομολογος veluti coessentialis in Calchedonenſi cō  
 cilio appellatus est. Et sic 1. Colof. 1 5. de Chri  
 ſto. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus  
 omnis creaturæ. itē 1. Heb. 2. filiū constituit he  
 rædem omnium, per quē & sæcula fecit. Idem est  
 splendor gloriæ, & charactet substantiæ ejus, por  
 tans omni i verbo potentiæ suæ. Quidam (unicū)  
 faciunt epitheton, nō filii, sed domini. At Græcē  
 est μονογενῆς, id est unigenitū, quod ad dominum  
 referri non potest, & sic unigenitus est, 1. Ioā. 4.  
 Per hoc patefacta est charitas Dei in nobis, q̄ fi  
 lium suū unigenitū misit Deus in mundū, ut viva  
 mus per eū. Quomodo unigenitus filius, item fi  
 liū suū unigenitū? Primogenitus dicitur, quia pri  
 mogenitus sit electotū. Hoc itē cōmune divini  
 tatis & humanitatis est, quod domin⁹ dicitur: &  
 regni qualitatē quandā præcipuē declarat, quip  
 pe qui a patre constitutus est rector Angelorū &  
 hominū, & patris imperiū pari cū eo potentia in  
 cælo & terris exerceat. Sic Psal. 1 10. Dixit Do  
 minus domino meo, sede ad dextram meā, 1. Lu  
 cæ 3 2. Et dabit illi dominus Deus thronū Davi  
 dis patris ipsius, regnabitque super domū Jaco  
 bi in æternum, & regni ejus non erit finis. Et 14.  
 Rom. In hoc enim mortuus est, & resurrexit  
 Christus ut omnium sit Dominus: Et pauló an  
 tē, portans omnia verbo potentiæ suæ. Itaque in  
 primitivæ ecclesiæ precib. clausula perpetua est:  
 per dominum nostrū Iesum Christū. Credimus  
 igitur in filium Dei unicum Dominū nostrum.

Cap. 10. De Conceptione & natiuitate  
Christi.

**Q**VI conceptus est de spiritu sancto, natus ex  
Maria virgine.

Descripta est adhuc secunda divinitatis persona, deinceps illustratur ex causis, adjunctis, effectis: prima illustratio est de procreantibus causis & parentibus, quod est humanitatis proprium, ut caput deinde proximum de morte.

*Conceptus.*] Ex spiritu sancto conceptum Maria virgini virumque ignoranti spōdet angelus. 1. Luc. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi te obumbrabit. Cūque sponsus Iosephus Mariam antequam cum ea convenisset, gravidam offendisset, proptereaque dimittere cogitaret, monitus est ab angelo, ut desisteret, conceptumque illum ex spiritu sancto esse, 1. Matth. 18. Illā nimirum 7. Esa. 14. propheta fuerat. Ecce virgo in utero habebit: & pariet filium, 1. Matth. 23. Christus igitur conceptus est ex spiritu sancto, sed secūdam carnem natus est ex Maria virgine. Natus (inquam) seu genitus, ut est in græco, ex Maria virgine, ex semine Abrahami, & Davidis Matth. 1. Imó etiam semine Adami. 3. Luc. Vterque tamen evangelista Iosephi genus tantum attingit. At tribulium con nubia tantum inter se erant. Itaq; etiam in idem genus Mariæ una concluditur, quæ virgo & ante partum, & in partu, & (ut pié credi par est) post partum fuerit. Christus igitur, ita promissus ho-

mo uerus est non tamen virili femine (quod He-  
 bion dixit) sed mirabili divini spiritus operatio-  
 ne. Homo (inquam) uerus est, nobis secundum  
 humanitatem *ὁμοῦσιος* coessentialis, ut Calchedo-  
 niensis synodus confitetur. Placuit enim Deo  
 Christum fratribus per omnia similem fieri ex-  
 cepto peccato. Heb. 2. & 4. Quapropter impie-  
 tas Marchionis & Manichei merito damnata est,  
 cum ille Christo phantasticum, hic aerium & cœ-  
 leste corpus affingeret. Neque verò Christi ani-  
 ma fuit absque sensu & ratione, ut Apollinaris  
 iudicabat: neque caro absque anima, ut Enno-  
 nius assererat. Itaque quod natus ex virgine, &  
 crevisse, quod edisse, quod bibisse dicitur, quod  
 plorasse, quod videri, palpari, vulnerari dicitur,  
 est humanitatis. Verbum caro factum est. 1. Io-  
 an. 5. & quidem factum non confusione essen-  
 tiæ, sed unitate personæ: Ita nempe humanitati  
 diuinitas ineffabili conjunctione coniungitur,  
 ut utrique sua natura proprietatque remaneat,  
 & tamen é duabus naturis unus Christus consti-  
 tuatur, non duo, nec alter Deus, alter homo, ut  
 Nestorius sentiebat: nec tamen humana interea  
 natura extinguatur, ut Eutychetes affirmabat.  
 Antequam fieret Abraham ego sum ait de se Chri-  
 stus, Ioan. 8. indicans diuinitatem suam: tamen-  
 si ut Abrahamus vidit diem domini fide: sic &  
 ante Abrahamum credentibus Christus fide vi-  
 sus esse potuit: sicut & agn<sup>9</sup> dicitur occisus á crea-  
 tione mundi. Sed tamen ad Christi diuinitatem  
 sine dubio omnes de eius omnipotentia & om-  
 nipa-

nipræsentia in scriptura loci pertinent. Quem admodum igitur natura lucis initio per omnes mundi partes diffusa (ait Iustinus Martyr) distinctis elementis & stellis creatis in solare corpus collecta est, unde per omnia diffunderetur: ita divinitas filii Dei, quæ omnibus rebus præsens erat, ut pro sapientia sua cuncta gubernaret, in Christi personam velut aggregata est, ex qua illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum: Mirabilis (inquis) conceptio mirabilisque nativitas: certè, & tamen (inquam) mirabiles etiam sunt Adami é limo terræ, & Evæ ex Adami costa sine ullo hominis semine natales. Christi igitur Dei & hominis talem conceptionem, natalemque mirabiliorem esse decuit. Itaque iustissima de causa Paulus exclamat 1. Timoth. 2. magnum illud esse pietatis arcanum. Gabriel angelus denuntiat virgini conceptum, eumque matris utero conclusum Ioannes item matris utero conclusus subsiliens tanquam veneratur: Hinc matrum exultatio, hinc Zachariæ de filii Ioanis ante Christum præcursores vaticinatio: hinc angelorum & pastorum incredibilis gratulatio.

*Cap. 11: De Vita Christi à nativitate usque ad passionem.*

**E**NIMVERO in compendiaria ista & symbolica brevitate requiretur fortasse, quæ tot annos Christi vita fuerit, nec summas veluti succinctis punctis notasse videatur alienum. Agedum

Christus *θεοῦ Σπῆματος* é vita divina potius quám hu-  
mana suspiciatur, ad annum siquidem tricesimū  
paucis in evágelio perstringitur. Etenim ut puer  
octavo die circumcísus est in templo, protinus á  
Simeōe atque Anna prophetissa pro Messia ex-  
ceptus & cultus. Infans deinceps alterum ingres-  
sus annū per magos numero ( ut Epiphanius ait )  
quindecim ex oriente atque é Babylonicæ ca-  
ptivitatis ( sicuti videri possit ) reliquiis excitos  
stellámque ducem sequutos, adoratus est. Dein-  
de in Ægyptum abductus metu Herodis, á quo  
propterea bimatu non majores infantes univer-  
si sunt necati: indéque mortuo Herode reductus  
est Nazaretham. Tum veró anno duodecimo tri-  
duum in templo cum doctóribus magna admi-  
ratione disseruit. Atque hæc paucula ante trice-  
simum annum de Christo perscripta valde su-  
spensum lectorem attonitúmque retinent, ho-  
minémque divinum, vel Deum potius humanū  
indicant. Quid sequentia? cujusmodi sunt? Hi-  
storia deinceps lógé mirabilior est: Anno igitur  
jubilæi quidem ultimi & tricesimi tricesimo, mú-  
di autem quater millesimo Christus annum fe-  
ré tricesimum natus ab Ioáne baptizatur in Ior-  
dane, aperto cælo Dei patris attestante voce &  
spiritu sancto per columhæ speciem astipulante  
filius Dei declaratur. Hoc uno nihil augustius au-  
diri potuit. Quid deinde Christus? jejuna, ten-  
tatur á diabolo, agnoscitur ab Ioanne pro Mes-  
sia, túmque divinitatem suam miraculis aperit:  
in nuptiis convertit aquam in vinum: & hoc pri-  
mum

mum á baptismo Christi pascha fuit, & propo-  
si ti triennii primus annus, tuncque deinceps abi-  
git mercatores é templo, instruit Nicodemum de  
regeneratione, baptizat per discipulos, Samarita-  
nam & Samaritanos convertit, concionatur de  
regno Dei. Ac jam plané dixeris: Deus ecce Deus,  
qui dæmones ejicit, qui sanat morbos, qui impe-  
tat mari & ventis, qui mortuos excitat, qui cæ-  
cis visum, qui mutis sermonem restituit. Atque  
hinc secundum pascha secundi anni terminus fuit.  
Tandem igitur majora opera molitur, disputat  
contra pontifices & doctores, duodecim Apo-  
stolos instituit, de baptista magnifice loquitur,  
ignoscit mulieri peccatrici, divinitatis suæ virtu-  
tes expromit, dum per apostolos ejicit dæmo-  
nia, morbos sanat, dum per seipsum pascit quin-  
que millia hominum quinque panibus, dum ma-  
ris æquora tanquam pavimenti cujusdam mar-  
mora solidis pedibus ambulat, dum esum carnis  
suæ, potumque sanguinis sui interpretatur, agno-  
sciturque á discipulis pro filio Dei, & transfigura-  
tur. Itaque (cúm tam insolitum fulgorem, men-  
tes amentium hominum ferre diutius non pos-  
sent) appetitur rursus insidiis Pharisæorum, at-  
que interim discipulos ecclesiasticam disciplinam  
docet, divertit ad Zachæum, tertioque tandem  
& ultimo paschate adventu regali Hierosolymam  
excipitur, mercatores rursus abigit é templo, ide-  
oque cum Scribis triumphum talem talemque  
authoritaté ægré ferentibus tertio conflictatur,  
vaticinatur de ruina templi, attentatur factione

sacerdotum & Iudæ. Quare jam extrema meditatatur, lavat pedes apostolorum, eosque ad mutuam charitatem cohortatus post cœnam ordinariam, postque paschatis cœremoniam ad extremum sacram cœnam instituit. Hæc triennalis historiam in evangelio capita fere sunt, unde planum efficitur vita Christi tam sancte, innocenter justeque transacta perfectam illam (quam debuimus) obedientiam pro nobis exolutam esse, nosque alieno ære illo altero exolutos: at nequaquam mortis gehennæ adhuc exolutos esse: Credit itaque sic ecclesia Dei in Iesum conceptum de spiritu sancto, natum ex Maria virgine..

*Cap. 12. De Christi passione, cruce, morte.*

**P**ASSVS. ] Christi generatio ex suis causis exposita est: addita etiam vitæ consequentis historia: sequitur illustratio altera ex adjunctis passione, cruce, morte, sepultura, descensu ad inferos, sed primo de trib. primis. Christi igitur humanitas dicta est, ex qua deinde Iesu Christi, Messieque sacerdotium præcipue declaratur. Passus autem generale est, tanquam diceretur supplicio affectus. Species passionis & supplicii mox explicabitur.

*Pontio Pilato* ] Pontius Pilatus præses Iudææ successit Valerio præsidiferè quadriennio ante passionem Christi ut ex Iosepho lib. 8. antiquitatum percipitur. Et sub Pontio Pilato non idem est quod iudice Pontio Pilato, tamen si id etiam est, sed cum Pontius Pilatus Iudææ præses, ut Luc.

3. 1. dicitur Pontio Pilato præfide, Christivero passio incipit à Iudæa prodicione, nec minus amarè prælagitur, quàm acerbè toleratur. Itaque Christus absente Iuda tam sollicitè reliquos undecim cohortatur & cõsolatur impendètes angores subinde iteratis ad patrem precibus, sudore denique sanguineis grumis profuente exprimit. Tum verò militibus Iudam sequutis, quanquam ipsos solo vocis spiritu prostraverat, dequè resistendi potentia satis admonuerat, ultrò tamen offertur, comprehenditur, vincetus ducitur ad Annam, & ab Anna ad Caipham. Hic crimina à falsis testibus obijciuntur, de ruina templi, & intra triduum restitutione, de divinitatis, dequè regni affectatione: Et pontifici (quod erat religionis) confitetur se filium esse Dei, eoque præcipuè nomine inter reos capitis delatus totam noctem indignissimè vexatur, in faciem conspuitur, cæditur colaphis, opprobriis illudiat: manè rursus ob illam de filio Dei confessionem mortis reus agitur. Atque hæc à furiosis delatoribus informatio crucis fuit. Quid tum verò? Iudæi (quanquam ipsis in causa religionis omnia libera ut Iosephus ait Romani reliquerant) attamen (ut Augustin⁹ ait) propter festum paschatis (si per ipsos animadversio tam terra fieret) metuunt. Ideoque per eos Pilato Romanis præfidiis armato Christus vincet⁹, criminibusque illis damnandus traditur, interrogat⁹que Christus respondet de regno (quod ad præsidem Cæsaris attineret) ut de religione pontifici responderat, de cæteris illis calumniis, & à

tali iudice alienis tacet. Pilatus Christū innocen-  
 tem palam prædicat: ideo iudicium rejicit mo-  
 do in sacerdotes, ut sua lege statuerent, sed judi-  
 cium mortis propter illum popularis seditionis  
 metum à se abdicant: modò ad Herodem regem  
 Galilææ, quia Christus Galilæus esset, & quidem  
 de regno insimulatus: at Herodes cum nullum  
 à Christo verbum exprimere potuisset, irrisum  
 purpuræque indutū velut appetiti regni ridicula  
 nota & contumelia traductum remisit. Pilatus  
 igitur cū animi conscientia tactus, tum ab uxo-  
 re nocturno in somnio perterrita monitas iterū  
 liberare Christum voluit, idq; per occasionem  
 paschatis, quo Iudæis reum aliquē liberabat, sed  
 populus Barrabam latronē præposuit, Christū-  
 que crucifigendum efflagitavit. Hac importuna  
 rabie Pilatus de gradu atq; ordine Romanæ po-  
 litix deturbatur: nec armis Romanis ad vim sce-  
 leratæ cupiditatis arcendum utitur: sed tamen lo-  
 tis propalam manibus testificatus suam à sangui-  
 ne iusti innocentiam, iudiciūque invidiam in ca-  
 lumniatorem populum à se averfatus Christum  
 per milites (qui liatores iidem & carnifices erāt)  
 virgis cæsum (virgæ siquidem supplicia, crucem  
 præcedebant) purpura illa Herodis indutum, spi-  
 nis coronatum, arūde dextra in signitum, pro-  
 que rege cōtumeliosè adoratū, exputum, verbe-  
 ratum, modis deniq; omnib. miserabilem ac mi-  
 serandū inflammatæ concioni proposuit, ut per  
 eas tanq̄ leviores pœnas crucis acerbiorē pœna  
 liberaret: concionis verò furentis amentia crucē  
 perstre-

perstrepebat, cōfessionemque illam de filio Dei conclamabat, nihilominus etiā hic absolutionis alia cogitatio Pilatū subiit, cum ad Christum conuersus de hominis potētia cœlitus data moneretur. Sed affectati cōtra Cæsarem regni calumnia territus est, ut innocētem cruce damnaret. Quapropter in hac judiciali disceptatione palam est, vel pagani iudicis testificatione tam multiplici Christum vadem nostri delicti in fontē pro fontibus multatum esse, & quæ non rapuerat, exoluisse, Psal. 69. Deus igitur proprio filio non percit, sed pro nob. omnib. tradidit illum Rom. 7. Interea verò Petrus Christū ter abnegavit, Iudæq; proditoris, ut Petrū abnegationis pœnituit, sed illū diffidentia perdidit, fides hūc servavit.

*Crucifixus.*

IVDICIVM Pilati de cruce declaratū est, cruciatus id est passionis species breviter comprehenditur. Christus militibus permissus Herodis purpura exuitur, vestimentis suis induitur, crucēque quæ mox tamen Simoni Cyreneo imponitur, bajulans cum duobus latronib. ad suppliciū ducitur, lamentāti turbæ prædicit miserabile exitium: tandem in Calvariæ mōte inter latrones in crucē sublatus cum titulo Latiné, Græcé, Hebraicé per Pilatum perscripto: Iesus Nazarenus rex Iudeorum, orat p carnificibus, a quib. cum vestis ejus sorte distracta esset, incessitur cōvitiis, incessitur item a prætereuntib. & a scribis, & a latrone altero, ab altero autē pro Deo colitur, matrē Ioannēque consolatur, aceti poculū oblatum re

spuit. Denique patrem iterum, iterumque inclamans, eique spiritum commendans consummatis expletisque tantum sacrificii solennibus expiravit. Quamobrem crucis supplicium Christus luit atrox atque acerbum cumulatimque gravissimis & acerbissimis non solum corporis, sed animi doloribus, quos ideo mortis dolores Petrus videtur appellare Act. 2. tanquam in ista acerbitate Christi divinitas tantisper facesseret, dum humanitas legitimam sacrificii hostiam expendere: crucis (inquam) supplicium luit non tantum atrox atque acerbum, sed detestabile & execrandum, non humana modo opinione, sed divina lege. Maledictus a Deo qui pendet in ligno 21. Deut. 23. & Gal. 3. 13. Sedenim a quibusdam proditum est crucifigendi modum alium Iudæis, alium Romanis fuisse: Iudæis lapidibus obrui solitos, deinde obrutos, mortuosque cruci alligari & eos quidem blasphemos & idololatrias: quibus criminibus videtur etiam Christus accusatus esse, & sic nominatim pontifex blasphemiam objicit, & crimen contra templum videbatur a delatoribus ad idololatriam referri: Romanis autem crucis supplicium ordinarium fuisse, quo vivi suffigebantur cruci clavis per manus pedesque trajectis, crucique affixorum etiam crura suffrigebantur: ut Christus non Iudaico sed Romano supplicio affectus sit. Quicquid sit, evangelica historia vera est. Et quidem Romanæ crucis illius supplicium perduravit usque ad Constantinum, a quo deinde toto Romano imperio sublatum est. Tempus verò crucifigendi Christi præcipua occasione

caſione ad feſtum diē paſchatis videtur á Phariſæis eſſe captatū, q̄a 17. Deu. ſcribitur tale ſuppli-  
 ciū fuiſſe conſtitutū, ut univerſus popul⁹ (qui un-  
 diq; ad paſcha in ſanctā civitatē conveniret) ta-  
 lis animadverſionis exemplū cognoceret. Sed  
 enim Chriſtus crucifixus eſt cruce deteſtabili &  
 ignominioſa, ſed nobis ſalutari & ppitia: æneus  
 quippe ſerpens ille fuit á Moſe ſupra vexillū ere-  
 ctus, quem iſti á ſerpentibus inttientes cōtinuó  
 ſanarentur. Verum enimveró Moſaicis ceræmo-  
 niis erant pro peccatis oblata victimæ expiatri-  
 ces, quæ propoſitā populi maleficiis execratio-  
 nem expiarent, quæque unā Chriſti victimam  
 præſagirent. Talis hircus ille fuit, de quo ſic 16.  
 Levit. 20. Aharon tunc offeret hircum vivum,  
 imponétque ambas manus ſuper capur hirci vi-  
 vi, & confitebitur ſuper illud oēs iniquitates ſi-  
 liorum Iſraelis, & oēs prævaricationes eorū cum  
 omnib. peccatis eorū, & ponet illa ſuper caput  
 hirci ac emittet illū per viri præparati manum in  
 deſertum: & portabit hircus ille ſuper ſe oēs ini-  
 quitates eorū in terrā inhabitabilem: & abire ſi-  
 net hircum illū in deſerto. Hæc Moſes de Hirco,  
 cujus quædā nota in ſacrificiis Ethnicorum licet  
 impiis, attamen apparuit. Quid enim aliud Ma-  
 filiēſis hoſtia ſpecie ipſa referebat? Quorſum ho-  
 ſtia in Iphigenia regia virgine pro Græcis immo-  
 lata á poëtis fingitur? Tales in Carthaginiēſi, Ro-  
 mano, Gallico, Moabitico populo etiā innocen-  
 tium, præſtantiumque civium victimæ fuerunt:  
 quas qui placando cacodæmoni ad certi populi

facinus expiādū devotas esse recordabitur, mirari minus debeat ad universum gen<sup>o</sup> hominū tedi mendū, deoq; omnipotenti reconciliandū, hostiā nō humanā modo & summis inter homines sacerdotii, pphetiæ, regni honorib. decoratam, sed divinā opus fuisse. Sic expediebat unū hominem mori p populo, dixit vates ille sui vaticinii ignarus. Ioan. 18. tanquam poetæ illud ageretur.

*Unum pro multis dabitur caput.*

Hic igit̄ Iesus præcipuē sacerdos ille fuit, de quo Psal. 110. Iuravit dominus & non pænitebit eū, tu es sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedechi. Quem locū repetit Apostolus 5. Heb. 5. Christus non sibi hunc honorē tribuit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat. Tu es sacerdos secundū ordinem Melchisedechi: Nec veró Christus sacerdos tantum fuit, sed hostia, q̄ & Esaias prædixerat 53. Ductus est instar ovis ad immolationē. Quapropter in Christū hac horribili passione cruceq; affectum & crucifixum credimus.

*Mortuus.*

MORTIS perpessio dicta est, & p̄pessio maximis maximeque mirandis naturæ tanq̄ lachrymis illachrimata & deplorata. Etenim vt ingens planctus à cælo terræque variē plangeretur, sol per universam terram ab hora sexta ad nonā lumine suo caruit, velū templi scissum est, terra tremuit, petræ scissæ sunt, monumentis apertis corpora sanctorum in sanctam civitatem profilierunt, carnifices denique tam insolitis prodigiis attoniti, ipsi carnificinam suam execrati filium

Dei

Dei confessi sunt, turbę spectantes percussis pectoribus ejularunt, sanctę mulieres cum plerisque popularibus, obstupuerunt. Quid ergo? Hęc nempe filium Dei funebris pompa decuerat. Tum veró cum latronum crura suffringerentur, mortui Christi integra membra manserunt, lancea tamen latus apertum est, unde sanguis & aqua profluxerunt. Mortuus igitur est Christus, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium Hebr. 2. Quapropter hac terribili morte mortuum Christum confitemur.

*Cap. 13. De Christi sepultura.*

**S**EPULTVS. Illustratio ex adjunctis instituta continuatur sepultura & descensu ad inferos. Sepultura Christi separatam etiam historiã habet in evangelio. Nam cum mortuus esset Christus sub vesperam Iosephus Arimatheensis senator nobilis & Christi discipulis unus intrepidę postulavit, quod tamen legitimum erat de sepeliendis nempe supplicio affectis: sed tamen (ut erat tempus) intrepidę postulavit & impetravit a Pilato sua etiam sponte satis propenso corpus Christi, Iosephoque Nicodemus misturam myrrhę & aloes libras quasi centum attulit. Ambo Christi corp<sup>9</sup> inunxerunt aromatis & lintheis syndonęque involverunt id est sepelierunt, sicut mos est Iudęis sepelire 27. Matth. 57. 15. Marc. 42. 23. Luc. 50. 19. Ioan. 38. Hac igitur honorifica sepultura Christus est sepultus. Itaque & mulieres cum spectassent monumentum,

& quomodo Christi corpus positum esset, paraverant aromata & unguenta ut cōsimiliter inungerent, 16. Marc. 1. 24. Luc. 1. Hunc autem sepeliendi Iudaicum morem docet historia de Lazaro & Christo á morte excitatis, ubi fascia, linthea, sudaria nominantur. Item historia Iacobi, cuius cadaver per Ægyptios medicos aromatis conditum est 50. Gen. 1. 2. 3. 4. Item Iosephi cadaver cōsimiliter aromatis conditum, & in sarcophago positum, 50. Gen. 22. 26. Immanuel Tremellius in syriacum testamentum Mar. cap. 14. docet singula moris hujus per partes, ut os oculique claudantur, fasciæque revinciantur, ut cadaver lavetur, unguentóque ex variis aromatis inungatur & involvatur albis vestibus modici pretii, pauperique ideo ac diviti æquè parabilibus, tum facies obtegatur sudariolo, pretii item non majoris quadrante sicli. Sicigitur Christus sepultus est, sicque sepultum evangelica historia profiteretur, & hanc Iudaicam sepeliendi consuetudinem Ioannes 19. 38. nominatim ita testificatur. Quapropter in Christum ita sepultum credimus.

*Cap. 14. De Christi descensu ad inferos.*

**D**ESCENDIT *ad inferos.*] Caput hoc symbolica fidei non est in symbolo Cypriani libris interposito, quin negat in Romanæ ecclesiæ symbolo, & in aliquibus orientis ecclesiis articulum istum fuisse, nec in symbolo Nicenæ synodi

odi fuit, ut aliquot postea sæculis symbolo apostolorum additum videatur. At quædam alia in symbolo Niceno, ut nihil repugnent, certè non omnino respōdent apostolico symbolo: & hoc caput consecutarum ecclesiarum consensu receptum est: historiam item habet in evangelio propriam. Descendit autem ad inferos, pro sepulchro impositus est. Sic enim inferi Hebræis Seol sepulchrum sæpe significat, ut 38. Gen. 35. Item 42. Gen. 38. Item 43. Gen. 29. 31. Item Psal. 6. 16. & 1 Reg. . Et sic Christi descensus talis ad inferos, id est ad sepulchrum, evangelistarum eodem loco intelligitur. Nicodemus in vicinis hortis monumentum novum exciderat in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat, ubi Christi corpus propter parasceven paschatis locique viciniam deposuit, & saxo magno ad ostium advoluto abiit. Deinde Pharisei tanquam resurrectionem sic impedire possent, munierunt sepulchrum præsidio, lapideque obsignarunt. Atque ita Christi descensus ad inferos intelligitur in monumentum illatio, ut tam insignis in evangelio & luculenta historia testificatur. Christus igitur sic descendit ad inferos, sic in monumentum impositus est, nec est inhumatus humove seu terra tectus, sed sepultus & in monumentum impositus lapideque involutus. Iudæorum autem communi consuetudine cum mortui corpus (ut ibidem Tremellius ait) sic lotum, unctum, fasciis, linteis, sudariis involutum, id est sepultum esset;

efferebatur & inhumabatur: tuncque à majoribus prodita quaedam recitabantur, non solum ad lugentes consolandum, sed ad divinam justitiam celebrandum, & hominum peccata detestandum. Itaque quamvis in isto sepulturae ritu verbum Græcum Latinumve inolutionem atque inhumationem confuse forsitan comprehendat, attamen res duæ in evangelio diversæ sunt: Sic Francica lingua res duæ distinctè duobus distinctis verbis, Ensevelir, Enterrer. Quapropter ex evangelica historia (cujus summa in symbolo imprimis colligitur) symboli caput hoc à superiore ita perspicue distinguetur. Sepultusque inunctionem & inolutionem: Descendit ad inferos, impositionem in monumentum comprehendet: & quinque diversis, quinque rerum diversarum gradibus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos, absolutus & consummatus mortis obitus & status exprimetur, Status enim morte oppressorum & veluti penitus absorptorum significatur etiã inferorum vocabulo, ut Ies. 14. describitur miserabilis interitus Nabuchodonosoris: Detræta est ad inferos superbia tua, sonitus naborum tuorum, subter te sternitur vermis, & operit vermis. Et ibidem, Veruntamen detraheris ad infernum ad imum usque foveæ sepulchralis. An verò Christus à mortuis excitatus ad inferos tanquam cælo beatorumque sedibus oppositos locos descendisse dicitur, ut afflictos patres liberaret? At Lucas capite decimosexto, testatur

testatur antequam Christus obiisset Lazarum in sinu Abrahami ab Angelis collocatum non affligi, sed in gaudio & solatio esse. Quantum verò sepeliendi & tumulandi studium Hebræis fuerit, declarat & in spelunca Abrahamus & Iosephus qui Iacobi patris cadaver ex Ægypto in Palæstinam tanto comitatu planctūque retulerit: declarat & Moses, qui tandem etiam ossa Iosephi ex ipsius testamento indidem indidem sepulchrum reportarit, & si etiam aliud spectaret illa ossium translatio. Quamobrem redemptionis humanæ λύτρον, quod 20. Matth. 28, appellatur, pretiūque illud alterum morte ita persolutum est. Prima satisfactio præcessit é perpetua vitæ obedientia, quam debuimus. Altera demum est secuta de expiatione mortis, qua propter peccatum damnati tenebamur. Hic igitur summa satisfactio, hic λύτρον captivitatis fuit morsque Christi extrema expiatio peccati nostri fuit. Mortuus est pro peccatis nostris, 1. Corinth. 15. Placatio iræ Dei fuit reconciliatio per mortem filii ejus, Roma. 5. λύτρον (inquam) redemptionis humanæ pretiūque Christi morte ita persolutum est, quod ab Adamo patres summis votis exoptabant, in quo spes omnes & solatia omnia sibi reponebant, in cujus fructu salutis æternæ beatitudinem sibi collocabant. Nam propter hujus mortis fructum credebant in Deum, sanctis Dei mandatis ac legibus audientes erant, nomen Domini invocabant, sacramentis pretium mortis hujus & λύτρον redem

ptionis futurum publica fide profitebantur. Ista enim spes erat divinæ promissionis ad instaurandum genus humanum de mulieris semine serpentis caput conculcaturo, 3. Geneseos, 15, ut tandem aliquando fructus istius remedio à primo parente amissam animi corporisque sanitatem reciperent. Atque in hoc eodem mortis fructu omnia bona Christianis omnibus jam reponuntur, & in æternum reponentur. Hic Christianæ fidei cum patribus antiquis scopus nobis unus est, quem qui attigerit, nihil præterea requireret: fides tota huc omnino perpetuòque intuetur, fidei actiones omnes ad hujus metæ scopum beneficiùmque omnino ac perpetuò aspirant: fructum, fructum (inquam) mortis Christi consequere, omnia ad æternam salutem & sanitatem auxilia remediàque consequutus es. Hoc altare est, 29, Exod. 1. hæc sanctitas sanctitatum, sanctificans quidquid attigerit. Itaque Niceno symbolo nominatim testatum est, propter nostram salutem Christum descendisse de cœlo, incarnatum, crucifixum, sepultum. Quapropter qui credimus Iesum Christum pro nostra salute ita passum, crucifixum, mortuum, sepultum, monumento impositum, Iacobitas & Mahumetistas qui hæc omnia negant, ut sceleratos & impios execramur.

*Cap. 15, De resurrectione, ascensione, iudicioq; extremo.*

TERTIO

**T**ERTIO die resurrexit à mortuis] Tertia illustratio ad descriptam divinitatis alteram personam reliqua est ex effectis, quòd Christus resurrexerit, quòd ascenderit in cœlum, quòd sedeat ad dexteram patris, quòd venturus ad extremum iudicium. Christus itaque tertio die resurrexit à mortuis. Quod 12. Matth. 39. Christus prædixerat. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tres dies & tres noctes, sic erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes. Resurrectio verò Christi, suis etiam miraculis ornata & celebrata est. Terræ siquidem velut exultantis & gratulantis motus est consequutus. Angelus Domini descendens de cœlo, devolvit lapidem ab hostio monumenti, supraque confedit, facie quidem fulguri, veste autem nivis per simili. Custodes igitur ita perterruit, ut exanimis atque intermortui jacuerint: tùmque nuntiavit sanctis mulieribus Christum resurrexisse, & hæc protinus Apostolis, visisque sepulturæ lintheis & sudario Petrus & alius discipulus de resurrectione Christi persuasi sunt, custodes denique idem ipsum prædicarunt & publicarunt. Hæc prima resurrectionis testimonia fuere. Sed milites à sacerdotibus corrupti mentiuntur corpus à discipulis furto sublatum, ut altera quasi morte Christum perimerent. At mors immortalitate ornatum nihil afficere jam potest. Christus ipse corpore immortalis glorioseque palam apparet primùm Magdalenæ, deinde absente Thoma, discipulis, eosque scripturas edocet.

Tertiò etiam præfente Thoma, quem idcirco nominatim confirmat, quartò omnibus undecim, eorumque incredulitatem coarguit ac jubet evangelium prædicare & baptizare: Postremò ad Tiberiadis mare piscantibus Petro, Thomæ, Nathanaeli, filiis Zebedæi, aliisque discipulis, inter quos Petrum præcipuè affatur & adhortatur. Resurrectio itaque Christi adversus sceleratas impiorum sacerdotum calumnias tot evidentibus argumentis demonstrata, testificata, confirmata est. Atque Acto. 2. 24. de Iesu sic loquitur Petrus: Quem Deus suscitavit solutis doloribus mortis, eo quod impossibile erat illum ab ea retineri. Paulus 1. Corinth. 14. Tradidi vobis imprimis quod & acceperam, quòd Christus mortuus esset pro peccatis nostris secundum scripturas. Christi autem morte maledictio sublata est, & peccati pœna persoluta, attamen non mortis, sed resurrectionis argumento in spem vivam regeneramur ait Petrus, & Paulus, Roma. 14. Christum mortuum dicit propter peccata nostra, suscitatum autem propter nostram justificationem. Resurrectio itaque divinitatis efficacia fuit, teste Paulo ad Rom. 1. Qui declaratus est filius Dei in virtute, eo quòd resurrexit à mortuis. Christus igitur semel ad inferos descendit, sed in æternam vitam resurrexit. Narrant Græci Leonidam audito oraculo Spartiatis victores fore, si rex ipsorum occumberet, ad Termopylas cum trecentis civibus fortiter occubuisse. Affirmant Romani, tres

Decios

Decios tres victimas pro salute populi Romani fuisse: At istorum nemo resurrexit a mortuis. Fabulantur Poëtæ quosdam heroes ad inferos descendisse, indeque ad superos ægre rediisse, unde sunt illa.

*Facilis descensus averni:*

*At revocare gradū, superasq; evadere ad auras,  
Hoc opus, hic labor est, pauci quos æquus amavit  
Juppiter & ardens evexit ad æthera virtus.*

Verum alter illis heroibus descensus fuit, quem ascensus nullus est consequutus. Christi autem est æterna resurrectio primitiæque resurgentiū, 1. Corinthiorum. Credo igitur Christum sic a mortuis excitatum esse.

*Cap. 16. De ascensione in cælum.*

**A**SCENDIT ad cælos ] Cùm Christus terrestrem a patre legationem obiisset, diésque quadraginta in terris post resurrectionem conversatus, resurrectionis suæ fidem amplissimam fecisset, in Oliveti montem discipulos suos eduxit, indeque benedicens ipsis, spiritumque sanctum promittens, ab illis vicissim cultus & adoratus nube excipitur, supraque cælos ascendit in sancta non manu facta, Hebr. 9. ubi perpetuó sit, & sine interruptione ulla, Heb. 10. Hic regius iste triumphus est triumphatæ mortis. Ascendens enim in cælum captivam duxit captivitatem, Ephes. 4. In cælum siquidem ascendit Christus, ut impleret omnia, Ephes. 4. Pon-

tifex sine sanguine in sancta sanctorum non ingrediebatur: Itaque neque Christus in cœleste sanctuarium, nisi expiatis sanguine suo nostris peccatis ingressus est, Heb. 1. & 7. Imò verò ut Romanus Imperator hoste devicto equis albis & inaurato curru vectus triumphans in Capitolium ascendebat: Sic Christus superato hoste humani generis ex Apostolorum oculis nubes velut aurigatione, totis beatarum mentium exultantibus, gratulantibus, applaudentibus choris in cœlum ascendit. Hunc Christi ascensum in suorum imperatorum apotheosi Romani videntur imitari voluisse, aquila ad extremum rogi verticem posita, quæ succenso igne pro imperatoris anima suspiciente populo Romano sublime evolare: At funus & fucus Romanis imposturis tantum fuit: Christi ascensum cum Apostoli intentis oculis admirarentur, Angeli candida veste apparuerunt, qui monerent Christum cœlesti regno acceptum, rediturum eadem illa majestate qua ascenderat. Christus igitur ascendit in cœlum, & quidem sic ascendit, ut in terris tamen nobis adsit usque ad finem sæculi, 28. Matt. 20. sed adsit majestatis suæ numine per universum mundum disperso ac diffuso: corporis autem magnitudine, situ, præsentia in cœlo interea tantum habiter. Itaque ait Augustinus secundum præsentiam majestatis semper habemus Christum, secundum præsentiam carnis rectè dictum est discipulis: me autem non semper habebitis vobiscum. Qualia & illa sunt,

Ioan.

Ioan. 17. Non sum amplius in mundo Ioan. 26.  
 Relinquo mundum & proficiscor ad patrem:  
 quibus locis ascensus in cœlum & ascensus cor-  
 poris manifestus est, unde Apellis dellyramen-  
 tum percipitur, qui finxit Christi corpus post  
 resurrectionem in elementa (ex quibus consta-  
 bat) fuisse resolutum. Christus igitur etiam cor-  
 pore in cœlū ascendit, ut eō quoque nobis ascen-  
 sum pararet. In domo patris mei mansiones mul-  
 tæ sunt, quòd si secus esset, dixissem vobis: va-  
 do vobis parare locum, Ioan. 14. Neque cœ-  
 lum modò est fœlicitas, beatitas vel omnipoten-  
 tia, vel omnimajestas, quæ ubique sit, ut qui-  
 busdam videtur. Hoc enim dogma hominum  
 cœlum ubique stuentium tanquam & diabo-  
 li inferorum pœnis cruciati etiam in cœlo sint,  
 valde detestabile & execrabile est. Quare cœ-  
 lum nobis erit, ut vulgo & passim à Philosophis,  
 ab idiotis, ab hominibus universis intelligitur,  
 suprema mundi pars, supra quam euectum Chri-  
 stum confitemur, atque ita in cœlos ascendisse  
 credimus.

*Cap. 17. De sessione ad dexte-  
 ram patris.*

**S**ED ET ad dexteram Dei patris omnipotentis ]  
 Id est, ejusdem potentia, virtutis, honoris,  
 gloria, majestatis est cum Deo patre: ut P. Mar-  
 tyr interpretatur. Phrasi enim Hebraica regium  
 Christi solium hîc indicatur, cum Christus tan-

quam ad cernendam & adeundam paterni regni & cœlestis imperii possessionem ad regis atque imperatoris dextram sedeat. Regum enim & imperatorum vice, qui populis præsent, sedere ad principum dextram, & ipsis assidere Hebræo sermone dicuntur. Sic 11. Exod. 5. Primogenitus Pharaonis sedere dicitur super solium ejus. Sic 48. Gen. 14. cum Iosephus Manassem & Ephraimum benedicendos Iacobo patri, illum ut primogenitum ad dextram, hunc ut natu minorem ad sinistram collocasset, patèrque transversis brachiis dextra benediceret Ephraimo, sinistra Manassi: Iosephus commotus conatur dextram patris in Manassem transferre: non sic ait pater mi, nam iste est primogenitus, pone dextram tuam super caput ejus. Renuit autem pater ejus, Novi filii mi, novi etiam, etiam ipse erit in populum, atque etiam ipse crescet, veruntamen frater ejus natu minor crescet magis quàm ipse & semen ejus erit plenitudo gentium. Quo etiam exemplo manifestum est sessione ad dexteram etiam primogenituræ & primariæ ad paternam hæreditatem successionis jus indicari. Sic Psalm. 110. antea citato regius Psaltes loquitur: Dixit Iehova Domino meo, sede ad dextram meam. Et Matth. 10. Mater filiorum Zebedæi de liberis curiosè sollicita simile quippiam rogat, ut de filiis alter Christo ad dextram, alter ad sinistram assideat. Christum itaque Ephes. 1. Deus excitavit ex mortuis, & collocavit ad dextram suam in cœlis longe supra  
omne

omne imperium ac potestatem & dominium,  
& omne nomen, quod nominatur, non solum  
in hoc saeculo, verum etiam in futuro, & omnia  
subjecit ejus pedibus, cumque constituit caput  
supra omnia ipsi ecclesiae, quae est corpus ipsius  
& complementum ejus, quia omnia implet in  
omnibus. Data est mihi omnis potestas in caelo  
& in terra, ait undecim discipulis, 28. Matth. 18.  
Item 8. Hebr. Talem habemus pontificem qui  
confedit ad dextram throni majestatis in cae-  
lis sanctuarii minister, ac veri illius tabernaculi,  
quod fixit Dominus, & non homo. Item 1. Pet.  
3. Qui est ad dextram Dei profectus in caelum  
subjectis ipsi angelis & potestatibus & virtuti-  
bus. Item Philipp. 2. Quapropter etiam Deus  
ipsum in summam extulit sublimitatem, ac do-  
navit ei nomen quod est super omne nomen, ut  
ad nomen Iesu omne genu se flectat, caelestium  
terrestrium ac subterraneorum, omnisque lin-  
gua confiteatur dominum esse Iesum Christum  
ad gloriam Dei patris. Sic igitur Apostolus no-  
men seu potentiam Christi exaggerat atque  
amplificat. Sic Acto. Stephanus intentis oculis  
in caelum vidit gloriam Dei & Iesum adstantem  
ad Dexteram Dei, & ait, Ecce conspicio caelos  
apertos, & filium hominis adstantem ad dextra  
Dei, Quapropter exaltatione Christi intelli-  
mus exaltatum sequestrem gratiae & deprecato-  
rem pro nobis perpetuum: Nunc vero no-  
ster ille pontifex eo excellentius ministerium  
sortitus est, quo praestantioris foederis & pra-

stantioribus promissis sanciti est propitiator & intercessor. Heb. 8. Itaque ut pontifex nomina Israeliticarum tribuum (ut est Exod. 39.) in humeris gerebat totidemque gemmas tanquam tesseras tribuum: sic Christus populorum omnium sanguine suo redemptorum nomina, non in humero, sed in fronte vel potius in pectore gestat inscripta ad clientium suorum causam coram cœlesti patre perorandum, ut perorat, Ioan. 16. Pater quos dedisti mihi velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam illam quam dedisti mihi. Ac quamvis ita Christus sit ad dexteram Dei patris, tamen certum in illis beatæ habitationis sedibus locum confitemur cum Augustino, in quo Christus corpore præsens assideat in majestate & gloria Dei patris. De quo Ioan. 14. Christus ipse ait se abiturum & suis paraturum locum, Item Actor. 3. Oportet ut cœlo Christus contineatur usque ad tempus reformationis omnium. Et sic Christus quoties precatus est, oculos in cœlum sustulit: nos quoque Christi exemplo, quoties oramus, sursum corda erigimus. Augustinus ad Dardanum, Epist. 57. Ubique (inquit) Christus est per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Neque propterea corpus Christi licet gloriosum tamen Deificatum arbitremur: aut divinitati exæquatum, ut rebus omnibus adsit, sicut divinitas adfuerit: impia enim hæc opinio est, piisque animis detestanda. Quare credo in Christum addextram supra cœlos assidentem.

## Cap. 18. De iudicio extremo.

IN DE *venturus iudicare vivos & mortuos*] In  
 cœlum obtentu nubis ascendit Christus, & é  
 celo venturus est in nubibus ad iudicandum.  
 Theſſal. Veruntamen victori regi victoriæ suæ  
 fructus iste est, regere imperio populos, & jus  
 suum cuique iudicio suo tribuere: At vivos mor-  
 tuosque iudicare, at justos æterno præmio, inju-  
 stos æterna pœna afficere, illud non terrestris &  
 humani, sed cœlestis ac divini regis, id est, Chri-  
 sti regnum est. Hoc igitur lustrum census erit  
 non populi Romani, ubi quadringenta, non He-  
 bræorum, ubi sexcenta civium millia censean-  
 tur, ubi gnavi & industrii laudentur, ubi ignavi  
 & inertes cœsoria nota infamentur, sed lustrum,  
 sed census erit omnium populorum, omnium  
 ætatum, imò verò sæculorum omnium, ubi per-  
 mundabitur area Domini, cogetur triticum in  
 horreum, palea exuretur igni inextinguibili, 3.  
 Matthæi 12. quod iteratur 13. Matthæi 39. 48.  
 Atque ibi Christus erit 16. Matthæi 27. tùm-  
 que impiis dicetur, maledicti discedite a me in i-  
 gnem æternum, qui præparatus est diabolo &  
 Angelis ejus, Matthæi 25. Contra ibidem. Ve-  
 nite benedicti patris mei, possidete hereditatem  
 quæ vobis à creatione mundi præparata est. Hęc  
 igitur extremi iudicii consolatio piis est, quòd  
 pater omne iudicium tradidit filio, ut conscien-  
 tias nostras tranquillas redderet, & omnem con-  
 demnationis terrorem eximeret, Ioan. 5. Trium-

phalis scilicet Ezechielis currus hîc imprimis apparebit, hîc illa divina majestas præcipuè triumphabit, præcipuèque miseris horribilis ac perterritescenda, beatis admirabilis totoque pietatis affectu suspicienda. Hanc divinâ Dei justitiâ in malis plectendis, in bonis remunerandis respub. omnes ac civitates, omnia regna atque imperia pro fundamento quodam humanæ societatis habuerunt: quamvis Aristoteles, Aristotelemque sequuti Epicurei & olim pluri-  
mi, & hodie non pauciores, non tantum in latebris scholarum, sed in aulis principum & in clarissima luce hominum animis tanquã morte damnatis de hac æterna justitia valde securi sint. Veruntamen Christus verus homo Deusque illa regis specie descendens ex illo cœlo ad judicandũ apparebit oculis hominũ eadem forma, qua, ut est Act. 1. cùm in ipsum ascenderet, apparuit. Iudicaturus autẽ non solum mortuos, qui tum vixerint, morteque prius defuncti fuerint, sed vivos, qui tum fuerint, morienturque. Nam statutum est omnibus semel mori, & postea judicium. Mortui itaque & vivi ad iudicium ab extremis mundi partibus clangore tubæ citabuntur, sed mortui in Christo primi resurgent, superstites obviam Domino cum illis in aëra rapiuntur, 1. Thessa. 4. De die autem ultimi iudicii interrogatur Christus à discipulis, variaque ejus signa describuntur 24. Matth. 3. & deinceps 25. Matth. 31. Dies autem ille propter electos breviabitur, 24. Matth. 22. Et tamen de tali

tali die atque hora homo nemo scit, neque cœlestes angeli, neque filius hominis, sed solus cœlestis pater, 13. Mar. 14. ubi Christus ignorare diem iudicii dicitur, tanquam à patre mandatum non haberet iudicii hominibus revelandi, aut quod Christus secundum humanitatem (qua filius hominis appellatur) id ignoraret. Crevit enim Iesus sapientia ut ætate Luc. 2. 52, ut minimè mirū sit, quòd dicatur ab hominis filio diem iudicii ignoratum esse. Itaque domus Helix dictum de sex annorum millibus (quibus sit duraturus mundus) cabalisticū deprehenditur. Helias enim iste scire se profitetur quod à solo patre sciatur, ab hominibus autem, ab Angelis, à filio etiam hominis ignoretur. Credimus igitur in Christum, talē mundi iudicem futurum.

*Cap. 19. De spiritu sancto.*

**C**REDO *in spiritum sanctum* ] Adhuc filii persona ē personis trinitatis (quæ sunt à patre) ē suis qualitatibus & attributis proposita est: superest persona spiritus sancti. Veteri testamento Deitas patris clarissime proposita est: novo testamento filii Deitas (quæ fuerat in veteri obscurior) clarissimè demonstrata est: At neque veteri neque novo Testamento Deitas sancti spiritus peræquè est vel proposita vel demonstrata, & modò quatuor tantum verbis, *Credo in spiritum sanctum*, comprehensa est in Symbolo Apostolico: definitio amplior vel de-

scriptio nulla hîc facta est, ut tamen à persona patris filiique, persona spiritus sancti distinguatur, certissimis è veteri novoque testamento argumentis spiritum sanctum & esse Deum & à patre filioque procedere colligitur: Nam quod lehovæ attribuitur, attribuitur idè spiritui sancto, 9. Deut. Israelitæ dicuntur irritasse lehovam. At idem tribuitur spiritui sancto, 63. Esa. Ipsi autem rebelles fuerunt, & irasci fecerunt spiritum sanctum ejus. Item 6. Esa. 9. quod attribuitur domino, vade & dic populo huic: Audite audiendo & ne intelligatis, idem nomine spiritus sancti à Paulo repetitur. 28. Actor. 25. Rectè sanè spiritus sanctus loquutus est per Esaiam Prophetam patribus nostris, dicens: vade ad populum istum, & dic, Auditum audietis, & non intelligetis. Itaque hi loci in utroque testamento, cum Deum & spiritum sanctum pro eodem usurpant, demonstrat spiritum sanctum Deum esse. Sic 5. Act. 1. Petrus cum Ananiam reprehendit, & mētitus esset spiritui sancto: Non es mētitus hominib. (ait) sed Deo: Hic spiritus sanctus apertè à Petro Deus appellatur. Itaque etiā attributa Dei spiritui sancto attribuantur, ut sit æternus, infinitus, optimus. Sanguis Christi per spiritum æternum se obtulit immaculatum Deo. 9. Heb. 14. Hic æternitas attribuitur spiritui sancto, 1. Corinth. 3. 16. An nescitis quod templum Dei estis, & quod spiritus Dei habitat in vobis? Spiritus habitat in variis piorum cordibus eodem tēpore, est igitur infinitus & immensus, nec habet essentiā Physico loco circumscriptam,

scriptā, cōcludit hinc Didymus. Bonitas veró & beneficentia variis generibus attribuitur, 1. Corinth. 12. 14. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii veró sermo cognitionis per eundem spiritum: Alii veró fides per spiritum: alii veró dona sanationum, per eundem spiritum: Alii veró facultates edendarum virtutum, alii veró prophetia, alii veró discretionēs spirituum: alii veró genera linguarum, alii veró interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, distribuens privatim illa singulis sicut vult. Hic bonitas & beneficentia spiritus sancti tā variis donis summa declaratur. Sed virtutes spiritus sancti per totam scripturā multo etiam copiosius declarantur, cū appellatur digitus Dei, 1. 1. Luc. 20. qui 12. Matth. 28. vocatur spiritus Dei: cū appellatur veritas, ut Ioan. 1, Epist. 5. 6. Spiritus gratiæ, 10. Hebr. Spiritus libertatis, 2. Corinth. 3. Remittit peccata, 20. Ioan. Abluit, sanctificat, justificat, 1. Corinth. Abluti estis, sanctificati estis in nomine Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Lavat & regenerat, 3. Tit. Salvos factos per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus sancti. Consolatur, unde sæpe paracletus, id est, consolator dicitur, dicitur arrabo: Qui etiam ob signavit nos, deditque arrabonem spiritus in cordibus nostris, 2. Cor. 1. 22. Denique spiritus sanctus appellatur author prophetiæ & Apostolicæ doctrinæ, 2. Pet. 1. Non libidine hominis data est olim prophetia, sed actiā spiritu

sancto loquuti sunt sancti Dei homines. Item  
 16. Ioan. Cúm venerit ille spiritus veritatis, de-  
 ducet vos in omnem veritatem. Cúm igitur  
 Deus & spiritus sanctus pro eodem sumantur,  
 cúmque Dei propria attributa spiritui sancto at-  
 tribuantur, intelligitur spiritum sanctum Deum  
 esse. Denique Apostolico symbolo cúm eccle-  
 sia Dei dicat: *Credo in spiritum sanctum*, Deitatem  
 spiritus sancti confitetur. Verúm Spiritus Sanctus  
 non solum est Deus, sed Deus á patre filioque  
 procedens. Hoc enim modo Paulus attribuit  
 spiritum sanctum nunc patri, nunc filio. Patri  
 quidem 8. Rom. 11. Sed si spiritus eius qui ex-  
 citavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis, is qui  
 excitavit Christum ex mortuis vivificabit & mor-  
 talia corpora vestra per inhabitantem suum spi-  
 ritum in vobis: Filio autem, 8. Rom. Vos veró  
 non estis in carne, sed in spiritu: siquidem spiritus  
 Dei habitat in vobis: quód si quis spiritum Chri-  
 sti non habet, hic non est eius. Consolator auté  
 ille spiritus sanctus, quem mittet pater in nomi-  
 ne meo, ille vos docebit omnia, 14. Ioan. 26.  
 Hic á patre mittitur. Item, Cúm autem venerit  
 consolator ille, quem ego mittam vobis á patre,  
 spiritus ille veritatis, qui á patre procedit, testifi-  
 cabitur de me, 15. Ioan. 26. Hic á filio mitti-  
 tur & á patre, id est, ab utroque procedit. Quare  
 spiritus sanctus Deus est á patre filioque proce-  
 dens. Itaq; Cōstantinopolitana synodus prima  
 addidit adversus Arrium symbolo Apostolico &  
 Nicæno quód ecclesia crederet in spiritum sanctum  
 dominum

dominum vivificantem, qui ex patre & filio procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & cōglorificatur. Neque tamen spiritus sanctus appellatur ingenitus, ut pater, neque genitus, ut filius, ne videatur esse vel pater vel filius. Processio igitur est communicatio divinæ essentię, quā spiritus accipit a patre filioque. Differentiam autem geniti & procedentis, & si Deo ipsi nota sit, theologi tamen summi ignotam sibi esse confitentur; Audis spiritum procedere a patre & filio, sed quomodo id fiat, noli nimis indagare ait, Nazianzenus de generatione filii & processione sancti spiritus: cui velut assentientes, Ambrosius, Augustinus, Damascenus similia testati sunt. Spiritus itaque sanctus non est divinæ gratiæ donum, ut Macedoniani interpretantur: neque charites Iovis filiæ poetarum figmentis celebratæ. *Trinitas*. Deum igitur colimus in trinitate unum. Sic enim in novo testamento trinitas etsi ipso trinitatis nomine non appelletur, attamen re ipsa ac veritate evidēter exprimitur, ut in illa angelica annuntiatione ad Mariam virginem. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obūbrabit te, & quod nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Hic altissimus pro patre nominatur, filius & spiritus sanctus nominatim exprimuntur. Sic in baptismo de Christo pater cœlesti voce ita loquitur. Hic est filius meus dilectus: & ibidem spiritus sanctus, specie colūbæ apparuit Matth. 3. 16. Et sic Christus præcipit Matth. 28. Baptizate in nomine patris, filii,

& spiritus sancti. Sic i. Ioannis 8. Tres sunt qui  
 testificantur in cœlo, pater, verbum & spiritus:  
 & hi tres unum sunt. Sic adversus Arrium Atha-  
 nassii symbolo trinitatis personæ coeternæ sibi  
 & coæquales definiuntur, ita ut per omnia & u-  
 nitas in trinitate, & trinitas in unitate veneranda  
 sit. Hinc solennis & antiqua ecclesiæ celebra-  
 tio. Gloria patri & filio & spiritui sancto. Item  
 Deo patri & filio domino nostro Iesu Christo,  
 cum sancto spiritu gloria & imperium in sæcu-  
 la sæculorū. Quare pater, filius, spiritus sanctus  
 Dei epitheta non sunt, ut justus, fortis, miseri-  
 cors, sicuti Sabellius commentus est: Sed divi-  
 næ trinitatis & si cogitatio reconditior & subli-  
 mior est: attamen species & imago quædam in  
 Platone epistola 2. & 6. ad Dionysium de sum-  
 mo rege rerum omnium apud quem & cuius  
 gratia, & à quo bona sunt omnia: de secundo a-  
 pud quem secunda: de tertio apud quem tertia.  
 Hunc trinum regem alibi Plato nominat Deū,  
 mentem, animam mundi, ut Deus sit rex ipse  
 summus infinita potentia: mens autem sapien-  
 tiæ & consilii principatus à summo rege proxi-  
 mus: anima verò mundi, quæ rerum ortus, inte-  
 ritusque per regem mentis sapientia definitos  
 exæquatur. Quamobrem constanti fide à Chri-  
 stiano dicatur: Credo in Deum patrem, in fi-  
 lium Iesum Christum, in spiritum sanctum,  
 in Deum denique essentia unum, personis tri-  
 num.

Cap.

Cap. 20. *Quid sit ecclesia Dei, & quid  
sancta.*

**C**REDO *ecclesiam*. ] Haecenus primum & præcipuum caput apostolici symboli fuit de fide in Deum patrem & filium & spiritum sanctum. Caput symboli reliquum sequitur de ecclesia Dei, deque ipsius definitione. Quid igitur est (inquires) ecclesia Dei? Est ecclesia sancta, catholica, sanctorum communione sociata, peccatorum remissionem & resurrectionem corporis beatioremque vitam ævo sempiterno adeptura. His enim differentiis & notis notatur & definitur populus Dei, qui fide symbolo descripta vivit. Talis igitur ecclesia nova est in terris & quodammodo cælestis Hierosolyma: & tamē tres prioræ differentiæ ad politiam ac disciplinam ecclesiasticam potius attinet quam ad doctrinam, & ideo summam quandam doctrinæ ac disciplinæ prædiximus in symbolo contineri. *Credo* ] Credo, huic repetatur, sed alio sensu, nec ideo præpositio (in) repetitur, ut neque repetitur ab Augustino, nec ab eo qui Cypriani nomine symbolum exposuit, quamvis symbolum Nicenum repetat. Sed quidam sic legunt. Credo in spiritum sanctum loquutum per prophetas in unam sanctam, catholicam & apostolicam ecclesiam: tanquam (in) sine interpunctione referatur ad loquutum in unam, id est ad, vel in usum unius ecclesiæ. Credimus igitur Dei ecclesiam semper & fuisse & futuram esse, ne Deus filium ad cru-

cem temeré obtulisse videatur pro ecclesia quæ nulla esset. Septem enim millia Deus sibi perpetuó reservavit, quæ genua ante Baalem nunquá curvaverint, etiamsi tum Elias se solum relictum arbitraretur, 1. Reg. 19. 18. & Rom. 1. 4. Credimus (inquam) ecclesiam esse, ut credimus omnia utroque testamento vera esse, non autem in ecclesiam ut in Deum credimus: Ac si (in) adderetur etiam, referretur ad carnis resurrectionem perinde atque ad ecclesiam, sensusque valde dissimilis efficeretur: nec enim similiter in Deum atque in ecclesiam & in carnis resurrectionem crederetur. Itaque symbolum apostolicum merito præpositionem (in) non repetit: & híc iterum Nicænum symbolum á symbolo apostolico non nihil variat.

*Ecclesiam.*

ECCLESIA est concio seu populus vel civitas, vel resp. & hoc in proposita notatione generale est, & politica philosophorum, & legillatorum omnium ecclesiam sibi proponit ethicis decretis informandam.

*Sanctam.*

DIFFERENTIA prima est specialis & propria quód non quælibet, nec quorumlibet hominum civitas definiatur, sed sancta, id est sanctorum & innocentium civium. Sic Hebraus populus dicitur Deo sanctus 7. Deut. 6. Item 26. Deut. 19. Item 28. Deut. 9. Item 29. Deut. 13. Sed præcipué 19. Exo. 5. appellatur gens sancta, quam dominus elegerit sibi. Itaque differen

tia

tia illa à veteri Testamento ad novum pervenit,  
 & ecclesia vel civitas sancta dicitur pro civium  
 sanctorum, p̄rque Christianam fidem sanctifi-  
 catorum cœtu. Quos enim Deus elegit, hos vo-  
 cavit, quos vocavit, hos justificavit, quos justifi-  
 cavit hos etiã sanctificavit & glorificavit, Rom.  
 8. Hi nempe sunt divinæ gratiæ gradus. Tradi-  
 dit itaque seipsum Christus pro ecclesia, ut illam  
 sanctificaret. Sic Apostolus idem Eph. 2. Conci-  
 ves sanctorum & domesticos Dei appellat. Ec-  
 clesia itaque Dei sancta sponsa Christi, 2. Corin.  
 11. O vile unum sub uno pastore. Ioan. 10. Sæ-  
 pe corpus appellatur, cujus Christus sit caput, fi-  
 deles ipsa membra, Coloss. 1. Eph. 1. 4. 5. Eccle-  
 sia igitur Dei sancta est: neque tamen in hac mor-  
 tali vita sanctitas hominis cujusquam omnino  
 perfecta est, ut ei nihil amplius addi possit, qua-  
 tenus hominis est. Quomodo Paulus fatetur se  
 nondum comprehendisse, tametsi enitatur. Ne-  
 que verò tota simul ecclesia sancta est, sed cum  
 sanctis civibus multi permiscentur cives impro-  
 bi, ut perrarum sit, p̄rque magnum in electis  
 Dei (dum hac mortali vita occupantur) sanctita-  
 tem inchoatam esse. Catones duos habuit Ro-  
 mana resp. ut de bono cive proverbiale sit:

*Tertius é cœlo cecidit Cato.*

At quot millia Glauciarum & Catilinarum ex-  
 tulit? Civitas autem Dei singulis ætatibus pro-  
 phetam, apostolum, martyrem verã que pieta-  
 tis exemplum aliquod habuit: at interea quot  
 myriadas Cainorum & Iudarum perpeffa est?

neque tamen probos & electos ab improbis & repudiatis secernere possumus, id enim solius Dei est, nobis tamen contendendum modis omnibus, ut hæc zizania é vero frumento secernantur. Sanctitas igitur in terris inchoatur, in cælo absolvitur: si tamen ut Paulus 2. Corinth. 5. indu ti non nudi reperiamur. Et tamen isto sanctitatis nomine videntur etiam comprehendi, qui morte defuncti in cælum recepti sunt, cum Apocalypsis 6. appellentur viventium conservi & fratres. Sed de vivorum ecclesia modó agitur, cui symbolum apostolicum perscriptum est, non de illa cælesti quæ nostrum symbolum nihil requirit. Credo igitur Ecclesiam Dei sanctam esse, & quidem ita sanctam, ut sanctis consiliis á seipsa regatur & gubernetur.

Cap. 2 1. *Quid sit Ecclesia Catholica.*

CATHOLICAM.] Secunda est differentia Christianæ reipublicæ quód non unius alicujus loci temporisve civitas Dei sit, sed quód omnium locorum temporúmve quædam sit universitas: ubicunque namque & quandocunque fuerint homines apostolica illa fide informati: Christianam electorum reipublicam cõstituunt, etiamsi dispersi in omnes orbis partes Europam, Africam, Asiam, Americam inter se neque visi unquam, neque nati. Sic Antoninus philosophus civem Romanum dixit esse, quicun-

quicumque Romanis legibus viveret : ut civitatis & imperii fines iidem essent. Symbolum Nicæum addit hic apostolicum, quod convenit. Apostolorum enim prædicatio in omnem nationem terramque propagata est. Atque hæc magna ecclesiæ Hebraicæ a Christiana differentia est. Illa enim fuit peculiaris & loci, & temporis & populi: ista est omnium & regionum & sæculorum & gentium, benedictionemque Abrahamo de omnibus gentibus factam cumulatè præstitit. Itaque quicumque Christianis legibus moribusque vivit, ubicunque sit, nihil interest, civis est Christianus, & ad publicum de regenda civitate Dei consilium adhibendus, ut catholicæ ecclesiæ disciplina catholica sit, unòque omnium cum sacris literis consentiente iudicio accepta probataque: secundum discordibus institutis ac moribus diversa quomodo catholica & universalis crederetur? Catholica igitur seu generalis & universalis ecclesia sic appellatur, sic intelligitur: imò sic fide creditur, etiamsi nulla oculis appareat. De igitur ecclesia licet locis distincta sit, congregata tamen & una est in spiritu per evangelii verbum. Differentia igitur hæc piorum & impiorum communis fortasse videri possit, cum civitas improborum & impiorum civitate proborum & piorum celebrior ac frequentior esse possit, sed sancta eadem & catholica conjunctè intelligitur.

SANCTORUM *communione*.] Tertia specialis est differentia in Niceo symbolo licet prætermiffa, sensu tamen imprimis opportuna. Ecclesia Dei primo sancta, deinde catholica, tum communionem sanctorum sociata veræ scilicet pietatis & charitatis communique divini verbi & Christianorum sacramentorum usu, totoque doctrinæ Christianæ fructu. Hæc enim communio sanctorum præcipuè disciplina & conformatione atque exercitatione pietatis continetur, quia pii inter se & electi aliis alii bona omnia vel præsentibus & notis impertiunt, vel absentibus & ignotis comprecantur & exoptant: Sancti verò sunt non quos Romanus pontifex consecravit aut (ut ipse loquitur) canonisaverit, sed qui à Deo sunt electi, vocati, justificati, sanctificati, ut paulo ante dictum est: Quomodo Psal. 16. Erga sanctos tuos est voluntas mea ô Iehova. Et sic 1. Petri 2. Vos estis gens sancta. Sic Paulus sanctos appellat ad quos scribit. Horum igitur sanctorum inter se tanquam corporis unius membrorum sub uno Christo capite communicatio est doloris & lætitiæ. Hebræis verò præter religionis communionem fuit hæreditatum nonnulla communio, sed tamen conservatio quædam ejusmodi, ut hæreditates non ultra jubilæum alienari possent. Primis quibusdam Christianis fuit etiam major communio bonorum & facultatum ut est in Act. 4. quæ po-  
stea

stea in monachorum communionem, canonico-  
rum æquationem degeneravit. Sedenim cõmu-  
nionis speciem quandam ad beatæ civitatis insti-  
tutionem politici quidam præcipuè affectarunt.  
Phaleas primus apud Græcos æquationē bono-  
rum Calchedone statuit: Deinde duæ respub. lau-  
dibus istis celebratæ sunt, Cretū & Laconū. Cre-  
teserum omnium communionem, Lacones æ-  
qualem possessionem habuerunt. Huc Platonis  
in prima repub. unitas, in secunda æqualitas spe-  
ctavit. Aristoteles communionem repudiavit, æ-  
quationem maluit, ut tamen é liberalitatis usu cõ-  
munio retineretur. Romani æquationem liber-  
tatis in communibus legibus, & dignitatis in cõ-  
munibus honoribus & magistratibus, & sangui-  
nis in promiscuis nobilium inter se, & ignobiliū  
connubiis ferre æquo animo potuerūt, fortuna-  
rum in publicis agris æquationem ferre non po-  
tuerūt. Sed hæc in paganis vel æquatio, vel cõmu-  
nio non sanctorū quorūvis & cujuscūq; ge-  
neris & nationis hominum catholica, sed libero-  
rum civium ejusdem alicujus civitatis peculiaris  
fuit, exterum, peregrinū, servum quamlibet san-  
ctum neminem admittebant: nostra autē cõmu-  
nio non est Laconum vel Cretum, vel Romano-  
rum communio vel æquatio genere nobilium,  
aut nativitatis jure liberorum, sed vel terræ filio-  
rum modò animi virtute nobilium. Etenim ut  
Satyricus ille Iuv. Saty. 8.

*Tota licet veteres exornent undique cere  
Æria, nobilitas sola est, atque unica, virtus.*

modó (inquam) animi virtute nobilium, modó  
 vera humanitatis pietate liberorum, modó Dei  
 civitate donatorum, modó sanctorum & veré  
 Christianorum: communio ista sanctorú Chri-  
 stianæ civitatis civibus communicat religionis  
 non solúm possessionem fundúmque & hæredi-  
 tatem totam, sed fructum atque usum, imó vero  
 utendi, fruendique jura, libertates, privilegia  
 communicat, omnium honorum, dignitatum,  
 magistratuum sine ulla generis locique differen-  
 tia gradus cōmunes idoneis & aptis efficit. Com-  
 munitio sanctorú unitatē denique efficit, quam  
 Cyprianus de unitate ecclesiæ egregiè depingit.  
 Ecclesia (ait) una est quæ in multitudinem latius  
 incremento fœcunditatis extenditur: quomo-  
 do solis multi radii, sed lumen unum, & rami ar-  
 boris multi, sed robur unum tenaci radice fun-  
 datum, & cū de fonte uno rivi plurimi deflu-  
 unt, numerositas licet diffusa videatur, exundan-  
 tis copiæ largitate, unitas tamen servatur in ori-  
 gine: sic & ecclesia domini luce perfusa per orbē  
 totum radios suos porrigit, unum tamen lumen  
 est, quod ubique diffunditur, nec unitas corpo-  
 ris separatur, ramos suos in universam terram co-  
 pia ubertatis extendit, profluētes largiter rivos  
 latius expandit, unum tamen caput est, & origo  
 una, & una mater fœcunditatis successibus co-  
 piofa: sic una anima & cor unum. Communio i-  
 gitur sanctorum in ecclesiæ Christianæ defini-  
 tionem sic includitur: ut ecclesia sit illa sublimis  
 Hierosolyma omnium nostrum mater. Gal. 4.  
 colum-

fol  
 ex  
 ne  
 p  
 eos  
 lfra  
 hæ  
 pi  
 stian  
 etib  
 cun  
 nem  
 tur  
 quó  
 mun

R  
 et ill  
 natur  
 bus, n  
 quæ g  
 indulg  
 tur: &  
 750 ne  
 Plal. 3  
 & quo  
 anima  
 benefi

columna & firmamentum veritatis, ait Paulus, extra quam communionem & unitatem nulla neque fides conformari, neque salus expectari possit. Ita dominus (quibus exitium minitatur) eos negat in cœtu populi sui, in catalogo domus Israël futuros Eze. 13. Ergo pagani, Sarraceni, hæretici, unoque nomine omnes athei atque impii communibus privilegiis & libertatibus Christianæ societatis & communibus sanctorum fructibus, beneficiis & bonis privantur & interduntur. Vtrum verò in sanctorum communionem nos inclusi & comprehensi simus, testabitur spiritus adoptionis una cum spiritu nostro, quòd simus filii Dei, Rom. 8. Credo igitur communionem sanctorum.

*Cap. 23. De Remissione peccatorum.*

REMISSIONEM peccatorum, ] Quarta specialis differentia est, quòd ecclesia Dei sancta illa sit, sed sanctitate (ut hinc apparet) quæ nõ natura, non artibus & documentis, non moribus, non officiis studiisve nostris acquiratur, sed quæ gratuita malefactorum venia & peccatorum indulgentia a Deo per Christum nobis confertur: & remissio peccatorum justificatio est: nõ nempe istud est e Christi morte propositum Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata Psal. 103. Benedic anima mea Iehovæ, & ne obliviscaris omnium beneficiorum ejus, qui remittit omnes iniquita-

tes tuas, qui sanat omnes infirmitates tuas. Iere.  
 31. Propitiabor iniquitati eorum, & peccati non  
 recordabor amplius. Itaque Christus jubet uti-  
 ta patrem precemur. Remitte nobis debita no-  
 stra. Neque veró peccata post primum tantum  
 lapsum remittuntur, sed quoties ingemuerit pec-  
 cator 18. Matthæi. Ergo fides illa anté descripta  
 peccatorum remissionem cōsequitur, cum men-  
 tes & cōscientiæ in evangelicis promissionibus,  
 in obedientia mandatorum, in cœlestis patris  
 invocatione, in sacramentorum professione ac-  
 quiescunt. His enim organis apprehensa Chri-  
 sti iustitia justificamur. Ideóque isto capite gen-  
 tiliciorum sacrificiorum expiationes damnantur,  
 quibus placari numina sua arbitrantur: dam-  
 nantur item & Novatiani, qui post primum la-  
 psum nullam deinceps peccatorum remissioné  
 esse arbitrabantur: damnantur denique Aristo-  
 teles & Zeno & Epicurus & plerique politici,  
 qui beatam vitam non remissione peccatorum,  
 sed humanæ virtutis vel actione vel habitu, vel  
 voluptate, vel honore definierunt. Itaque diffe-  
 rentia remissionis peccatorum propria est cre-  
 dentibus in Christum & pœnitentibus, ut supe-  
 rior proxima: nec enim incredulis & impœni-  
 tentibus peccata remittuntur. Nicenum symbo-  
 lum hic confitetur non simpliciter remissionem  
 peccatorum, sed unum baptisma in remissioné  
 peccatorum: Sed de baptismo dicitur aptius in  
 sacramentis, & absque baptismo peccata remit-  
 ti possunt, & peccatores justificari, ut tum dice-  
 tur.

er. Talem igitur peccatorum remissionem credimus.

*(ap. 24. De resurrectione carnis.)*

**C**ARNIS resurrectionem.] Quinta differētia est, quod ad diem iudicij corpora (hic enim caro pro corpore) antea vel tum recens mortua ē suis sepulchris excitabuntur: Cyprianus scribit in aliquot orientis ecclesiis lectum esse, *In hujus carnis*, sicut Paulus loquitur. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem: sed hoc discrimen exiguum est: Nicenum symbolum hic resurrectionem mortuorum dicit, pro carnis resurrectione: quod est idem. Sedenim resurrectio multis in scriptura locis explicatur Esa. 26. *Vivent mortui & resurgent:* Item in evangelio 22, Matth. 16. Christus Saducæos resurrectionem negantes refellit, quod Deus sit Deus Abrahami Isaaci, Iacobi, qui tamen Deus non est mortuorum, neque tamen in cælo ullum viri ac feminae connubium futurum est, sed angelorum vite similis hominum vita est futura. Quin resurrectio quædam temporaria fuit illa mortuo Christo 27. Matth. 52. cum monumenta quædam aperta sunt, multa que corpora sanctorū qui dormierant, surrexerunt. Resurrectionis verò philosophia Epicureis & Stoicis prædicante Athenis Paulo Act. 17. insolens visa est. Itaque alii deriserunt, alii audire amplius eum voluerunt, e quibus crediderunt Dionysius Areopagita, & Damaris mulier cum quibusdam aliis: At Plato-

nis tamen illa *ἀνάβιωσις* veluti revivifcentia multo anté tractata fuerat. Ex vivis mortui fiunt, fiunt igitur & ex mortuis vivi. Platonis disputatio est in Phædone. Christiana tamen corporú *ἀνάστασις* & resurrectio nonnihil dissimilis est illius *ἀνάβιωσις* Pythagoream *μετεμύχουσι* redolentis. Sed tamen si Platonis *ἀνάβιωσις* Atheniensibus credibilis videbatur, Christiana *ἀνάστασις* incredibilis videri nõ debebat. At *ἀνάβιωσις* Platonica, si non Stoicis, certé Epicureis & omnino Aristoteleis mortales animos efficientibus ridicula videbatur, ut minus mirum sit eorum æmulis *ἀνάστασις* ridiculam videri. At apostolicum symbolum modó loquitur de Christi ecclesia, quæ non sophistica captione seducitur, sed apostolica fide nititur. Quamvis igitur impiis corporum resurrectio incredibilis videatur, tamen cùm piorum fides Christi resurrectionem intuetur, primitias (ut dixi) resurgentium, hypostasim humanæ resurrectionis concipit. Corpora itaque hominum resurgent immortalia & incorruptibilia quidem illa, sed impiorum & piorum permagna differentia: impiorum enim corpora manebunt infirma ignominiosaque, atque in ipsa infirmitate & ignominia instar chalybis candentis ardebunt in æternum. Daniel. 12. At piorú & beatorum corpora non solúm immortalia & incorruptibilia erút, sed robusta, impatibilia, gloriosa, spiritualia, 1. Cor. Non quód spiritus é corporibus fi-ent, sed quód spiritualé & omni carnis labe liberam & solutá vitá degent, qualem nempe spiritus  
ipfi

ipsi degunt. August. ad Crescentium . Sicut ani-  
 male corpus non est anima sed corpus, ita & spi-  
 rituale corpus nō spiritum debemus putare, sed  
 corpus. Hoc tropo & divinam in hominibus vi-  
 tam, divinōsque, imō etiam Deos homines ipsos  
 dicere solemus: Id enim spirituale modō est, cor-  
 pora (inquam) beatorū immortalia, incorrupti-  
 bilia, robusta, impatibilia, spiritualia, gloriosa re-  
 surgent. Christus enim (ut est Philip. 3.) transfi-  
 gurabit corpus nostrū humile, ut conforme red-  
 dat corpori suo glorioso, secundum efficaciam,  
 qua potest sibi subicere omnia, tūmque beati  
 teste Paulo ac Daniele fulgebunt instar solis ac  
 Lunæ. Item 13. Matth. 43. Cujus fulgoris speci-  
 men quoddam illud Moſis & Christi fuit. Mo-  
 ses enim, ut est 34. Exod. 29. in Sinaio mōte cū  
 Iehova veluti conversatus, facie fuit ita splendi-  
 da, ut velum obduceret quidē quoties alloque-  
 retur Hebræos tanquam splendorem tam inso-  
 litum nō laturos, tolleret autē cūm reverteretur  
 ad Iehovam. Sic Matth. 17. Cūm transformatus  
 est Christus coram discipulis, resplicuit facies e-  
 jus, ut sol, & vestimenta ejus candida facta sunt  
 instar lucis. Itaque tum demum beatitudo homi-  
 nis corpore pariter atque animo perfecta cōple-  
 bitur: beatorum enim animæ jam in cælo ipso  
 sunt. Idque ex illo Christi verbo credimus. Ho-  
 die mecū eris in paradiso. Assumpto autē corpo-  
 re non animæ tantūm, sed totius & integri homi-  
 nis ex anima & corpore constitui illarum demū  
 erit gloria. Sic Paul. 1. Cor. 15. Cūm autem hoc

corruptibile induerit incorruptibilitatē, & hoc  
 mortale induerit immortalitatem, tunc erit scri-  
 ptus ille sermo: Absorpta est mors ad victoriam:  
 ubi tuus ô mors stimulus? ubi tua ô inferne vi-  
 ctoria? Quapropter tum beati toto Christo nô  
 solum spiritualiter, sed corporaliter perfruētur:  
 spiritualia siquidem Christi bona iustitiam, san-  
 ctitatem, innocentiam, veritatem, virtutēque  
 perfectam animo, corporales autem dotes, ro-  
 bur impatibile, immortale ævum, vitam spiritua-  
 lem, splendorem sydereum corpore consequen-  
 tur, denique amissam in primo parēte animi cor-  
 porisque sanitatem per Christum recuperabūt.  
 Itaq; quamvis talis resurrectio futura sit, corpo-  
 ra tamen, licet robusta, impatibilia, immortalia,  
 spiritualia, splendida, gloriosa, corpora physica  
 esse non desinent, nec longa, lata, alta, & physico  
 loco cōprehensa esse desinēt, ut infinita simul es-  
 se possint, & tanquā luces per corpora perspicua  
 in niētū oculi penetrare, ideóque loci nihil oc-  
 cupent. Hunc errorem Hieronymus & Augusti-  
 nus refellunt. Credebat Origenes glorificatum  
 excitati Christi corpus ita spirituale & æthereū  
 factum esse, ut neque tangi, neque cerni posset,  
 quia Christus clausis foribus ingressus esset. Hi-  
 eronymus ad Pammachium Origenem refellit,  
 corpūsque Christi, & visibile & tactile fuisse de-  
 monstrat, & fores angelorum eo ministerio aper-  
 tas esse, quo Apostolis Petro & Paulo fores car-  
 ceris apertæ sunt, quo devolut<sup>9</sup> lapis ab ostio mo-  
 nimēti. Et tñ cū scriptura dicit clausis foribus  
 Christum

Christum ingressum, non dicit per ipsas fores penetrasse, sed cum clausæ essent fores, tum advenisse, ut etiam tum aperiri à janitore sive angelorum ministerio potuerint. Neque scriptura testatur discipulos ullum in isto ingressu miraculum demiratos esse. Generalius etiam hoc idem Augustinus de beatis omnibus. Tolle (ait) locorum spatia corporibus, & corpora non erunt. Item sanctos in futuro sæculo, eo quod corpora sunt habituri, oportet in aliquo corporali loco esse. Et Cyrill. lib. 2. de Trinitate. Si corpus, ergo in loco & in magnitudine & quantitate, quia ne divina quidem natura si quanta esset, circumscriptionem effugeret. Quin Angeli ipsi licet incorporei, tamen loco circumscribuntur. Basilus de spiritu sancto, cap. 22. Virtutes omnes in loco circumscriptæ esse creduntur. Nam Angelus qui adstabat Cornelio, non erat in eodem loco, cum adstaret Philippo: neque qui locutus est Zachariæ ab altari per idem tempus etiam in cælo suam implebat stationem. Quare commentum est doctis Christianis indignum, affirmare Christi veri non solum Dei, sed hominis extræque peccatum naturalis corpus mille Phisicis eodem tempore locis simul esse. Hanc itaque carnis resurrectionem credimus.

*Cap. 25. De vita aterna.*

VITAM aeternam] Bene vivere, finis Theologiae fuit initio, sed bonæ hujus & caducæ

vitæ finis est illa altera beatior & æterna vita. Itaque bene viventibus in hoc sæculo proponitur laborum suorum præmium æterna vita in altero sæculo: Amen, amen dico vobis (ait Christus) qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transibit à morte in vitam, 2. Timoth. 2. Quod si certet aliquis, non coronatur, nisi legitimè certaverit. Ista nimirum copiosa est in cælis merces, quam Christus suis pollicetur: & hoc regnum est cælorum, 13. Matth. 44. simile thesauro, margaritæ & lagenæ. Hoc regnū est cælorum, quod pueris addicitur, 19. Matth. 14. Hanc vitæ innocenter peractæ mercedem in cælesti illa vita Plato extremo de repub. proposuit, ut via ad cælestem vitam, colendo iustitiam, prudentiamque teneatur & insistatur. Atque hac vita iustè perfuncti tanquam victoria & triumphis potiti æterna virtutis præmia in cælo consequimur. Hanc eandem mercedem Scipio sexto de repub. civibus Rom. proponit. Quamquam (ait) sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est præmium, tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quædam & viridiora præmiorum genera desiderat. Deinde cūm docuisset eos, qui é corporum vinculis, tanquam é carcere evolverint, vivere, vitam autem hanc, quæ dicitur, mortem esse: Iustitiam (ait) cole, & pietatem: ea vita, via est in cælum. Ethnicis igitur quibusdam

cælestis

cœlestis ista remuneratio nota fuit : eaque de  
 causa in extremo fidei symbolo æterna vita pro  
 ponitur, quia caducæ hujus vitæ præmium est:  
 vel omnino vita æterna proponitur communi  
 differentia, ut humanæ animæ immortalitas in  
 confesso Christianis animis habeatur. Immor-  
 talitas autem animorum totius scripturæ funda-  
 mentum est, quo sublato tota religio tolleretur.  
 Sed ea minus accuratè demonstratur veteri te-  
 stamento, omnésque & benedictiones bonæ &  
 maledictiones malæ viventibus lex (ut diceretur in  
 ipsa lege) in hac mortali vita proponit, ut Sada-  
 cœi propterea videantur mortales animos existi-  
 mase, attamen & perspicuè, & disertè dicit Ec-  
 clesiastes, duodec. capite, septim. antequam re-  
 vertatur pulvis in terram, quemadmodum erat,  
 & spiritus revertatur ad Deum, à quo datus est.  
 Toto autem novo Testamento amplissimè, &  
 clarissimè animorum immortalitas asseritur, ne-  
 que philosophis omnibus improbata est. Plato  
 nempe thesim de animi immortalitate tam mul-  
 tis locis disputavit, ut cæteris persuadere velle,  
 sibi sanè persuasisse videatur. Aristoteles ut  
 mundi creationem, providentiam Dei: sic ani-  
 mi immortalitatem derisit, mentemque quam  
 non é materiæ potentia existere, sed extrinse-  
 cus advenire ait, in suum universum reverti cen-  
 set, ut oclusis in domo fenestris lux solis ad ip-  
 sum lucis fontem revertitur: quæ impietas cùm  
 superioribus illis adversus creationem mundi,  
 providentiam, justiciamque Dei, remissionem

peccatorum, resurrectionem carnis, sic ab impié fatuis defenditur, tanquam Aristoteles naturaliter, Christus divinitus sit loquutus, animique secundum Aristotelem mortales, secundum Christum immortales simul esse possint, & pro nihilo etiam Theologis quibusdam est tam sceleratæ fraudis elencho innumerabilem fatuorum multitudinem illaqueari, & irretiri. Itaque cum Plato beatitatem hominis in cælo collocasset, Aristoteles altera illa cælesti vita sprete & contempta beatitudinem hominis, nõ in alia, quam in hac mortali vita statuit, post mortem non aliud homini reliquit, quam ut dici posset: Hic beatus fuit, juxta Solonis illam sententiam

---*Dicique beatus*

*Ante obitum nemo, supremæque funera debet.*

Sed impiis quamvis mori cupientibus (quod Imperatori Adriano malum apud Dionem, ut summum veré imprecatus est Servianus) mori tamé non licebit. Persianæque illa in tyrannos imprecatio ipsis accidet.

*Magne pater divûm sævos punire tyrannos*

*Haud alia ratione velis cum dir a libido. Sat. 3.*

*Moverit ingenium, ferventi tincta veneno,*

*Virtutem ut videant, intabescantque relicta.*

Quomodo & Plato i. de rep. ait atheos morientes angî cum de Diis (quos nullos esse crediderant) addubitare incipiunt, ne immortalis anima pro malefactis æterno supplicio apud inferos torqueatur. Itaque æterna vita beatis quidé cælestis & divina vita erit: in hoc enim vocati sunt

sunt fideles, 2. Pet. 1. cap. ut divinæ naturæ con-  
sortes fierent. Impiis autem & atheis apud in-  
feros æternus cruciatus erit. Nec enim ait Iesa.  
66. cap. Vermis eorum morietur, neque ignis  
eorum extinguetur, omnique carni opprobrio  
erunt. Atque ut locus in summo mundi beatis,  
sic videtur in infimo miseris esse: miseri enim  
post iudicium corporibus physicis & crassis con-  
stabit: ideoque Physicum (ut de omnibus cor-  
poribus jam dictum est) locum occupabunt. Se-  
paratum verò inferis locum historia apud Lu-  
cam divitis epulonis ostendit, ubi cruciatuum  
locus à sinu Abrahæ ingenti hiatu separatur: Et  
sic August. lib. retract. 2. cap. 24. De inferis mi-  
hi videor magis docere debuisse, quòd sub ter-  
ris sint, quàm rationem reddere cur sub terris  
esse credantur. Atque ex hoc æternæ vitæ capite  
constat Chiliastarum impietas, qui electorum  
beatitudinem & repudiatorum miseriam mille  
annis definiunt: quod é Pythagorea metempsy-  
chosi é Phædro Platonis vel Æneide Maronis  
manaverat. Hoc etiam eodem symboli capite  
cælum electis, inferos repudiatis attribui intel-  
ligimus: purgatorium autem Augustinus aper-  
te refellit. Nam cùm Hypognosticon quinto  
proposuisset duo constare loca ex autoritate  
divina, regni cælestis alterum, alterum inferni:  
tertium (inquit) penitus ignoramus, imò nec in  
scripturis sanctis invenimus. Hæc vir ille san-  
ctus. Ac si qui patres in hoc loco lubricè versati  
sunt, scripturæ sacræ autoritate conformandi

erunt. Quamobrem ad extremum symboli caput, constanti fide confiteatur Christianus, *Credo vitam aeternam.*

*Amen*] Hebræa vox nomen interdum est, pro veritate, 65. Ies. 17. Qui benedicetur, benedicetur in Deo amen, id est veritatis: & qui iurat in terra, iurabit per Deum amen, id est veritatis. Interdum adverbialiscit, pro veré, ut 17. Deuteronom. 16. Et dicet omnis populus amen, id est, veré, sicut hic accipitur. Nam ut in illo Deut. loco populus Hebræus, sic populus Christianus, modo velut acclamans ecclesiæ ministro respondet, amen: vel si quis solus symbolum confiteatur, addit hanc vocem asseverationis tanquam reuera confiteatur & credat. Fides igitur his paucis Apostolici Symboli capitibus comprehensa est, quæ sit ad æternam vitam satis. Nam ubi fides erit, ibi fructus erit fidei in obedientia legis, in prece, in sacramentis. Fides (ut de spe, quam viva fides cum charitate complectitur, Paulus ait Hebræorum 6. 10.) quæ sit anchora animæ tuta ac firma, ingrediens in interiora veli, quo præcursor pro nobis ingressus est Iesus: Fides quæ non demonstratur Pharisaicis signis, ut est 12. Matth. 38. Item 16. Matth. 1. sed quæ gratis accipitur. Fides qua reficitur in nobis & renovatur imago & similitudo Dei, qua animo innocentes, sancti, iusti, veraces, corpore invicti, immortales, splendidi, gloriosi, dii quidam efficimur. Fides quæ vel grano sinapis ex æquata montes loco transferat, 17. Matth. 20. Item

21. Matth. 21. Fides quæ solida, mare ambulanti-  
 tur Petro solidare possit, 21. Matth. 29. 30. Fi-  
 des cui consentiunt symbola præstantissimarum  
 synodorum Niceæ, Cõstantinopolitanæ, Ephe-  
 sia Chalchedoniensis, beatique Athanasii. Fi-  
 des quæ firma persuasio sit de Dei patris omni-  
 potentia, filii sapientia, spiritus sancti gratia erga  
 ecclesiam sanctam, catholicam, sanctorum com-  
 munionem sociatam, quæque à peccatis remissio-  
 nem, à mortuis resurrectionem, vitam denique  
 æternam adeptura sit.

## PRIMI LIBRI DE

FIDE FINIS.



96

PETRI RAMI  
COMMENTARIORUM,  
DE CHRISTIANA RELI-  
gione, Lib. secundus.

DE LEGE.

*CAP. I. De justificatione per fidem,  
deq; libero arbitrio.*

**H**ACTENUS igitur de fide prima summâque beatæ vitæ contemplatione & sapientia actum est, sequitur altera pars Theologia, de actionibus fidei, totâque hominis erga Deum observantia. Hic enim fidei effectus est: utque ignis absque calore, sol absque luce, sic vera illa fides absque honesta Deoque grata actione consistere nequaquã potest. Fides enim est res viva, actuosa, efficax, & tam potens, ut non possit non perpetuò bonum operari. Itaque fides sine justis actionibus mortua est, Iacob. 2. Imò absque fide hominis ante Deum actio justa nulla est, fidésque sola nos justos, id est, Deo gratos acceptosque efficit, fides (inquam) sola justificat, id est à peccatis absolvit, & pro justis præstat: sic justificare & condemnare contraria sunt, 2 5. Deuter. Iudic

ees justificent justum, condemnent impium. Matth. 12. Sermonibus tuis justificaberis, & sermonibus tuis condemnaberis. Credidit Abrahamus Iehovæ, & imputatum est illud ei ad justitiam. Sic igitur Paulus 1. Rom. prædicat nullam esse ex fide justitiam nisi gratuitam: Justificamur enim, quia fide apprehendimus Christum, qui datus est nobis in justitiam, 1. Corinth. Itaque justificatio hominis est ex fide: Et sic Paulus 3. Rom. concludit hominem justificari fide, etiam sine legis actionibus. Itaque justificationis nostræ non partem aliam actiones nostræ, partem aliam Deus, sed totum solidumque ex alio beneficium fides in Christum obtinet. Neque hoc loco de mortua & inani fide loquimur, de qua Iaco. 2. loquitur, sed vera vivaque. <sup>ἀνθρώπων</sup> nempe illud est humanæ redemptionis pretiumque est Christi morte perpetuo spectandum. Huc enim vota, desideria, solatia (ut dixi, & dicendum sæpius est) piorum omnium referenda ac dirigenda sunt: neque enim per nos ipsos, perque naturam nostram (quæ peccato primæ originis depravata aut infirmæ diffidentia aut arrogantis confidentia plena est) iuste agere coram Deo quicquam possumus, nec ullum fructum instar malæ arboris nisi malum edere. Arbitrium enim illud (quo primus homo dotatus a Deo fuerat) sic imminutum est, ut ad legis offensionem liberum quidem supersit, ad obedientiam servum: ut Augustinus nos antea jam docuit. Itaque ad actiones Deo gratas regem

neratione & renovatione hominis per spiritum sanctum opus est. 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Et 2. Corinth. 3. Apostolus idem negat nos idoneos esse ex nobis ipsis cogitare quicquam boni. Illudenim Apostoli, 1 Corinth. 4. tam sæpe ab Augustino repetitum: Tu homo quid habes, quod non accepisti? Quin Iesa. 64. Iustitiæ nostræ comparantur panno é contritis centonibus confarinato. Et Luca 17. dominus ait, Cúm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, nos servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Mādaturum itaque legis omnibus superest, potestas observādē legis electis gratuita gratia datur, rejectis & repudiatis propter peccatū p̄scrū nō datur. Quod ne Christianis mirabilis videretur, gentium doctores & Poetæ perceperunt. Iliad. v.

Ζεύς δ' ἀρετῶν ἀνδρῶσιν ὀφέλειτε μινύθειτε  
ὅπως κεν ἐδέλησιν: ὁ γὰρ κάρπυος ἀπάντων.

Iuppiter autem virtutem viris augetque minuitque, ut velit. Ille enim est potentissimus omnium. Sed idem Plato in Menone multo clarius exposuit: ubi disputat, virtutem humana neque natura, neque doctrina, neque exercitatione parari posse, sed donum Dei merum esse: Utque Sibyllæ divinitus afflata res mirabiles respondent, Deo autem destituta similes rursus fiunt reliquarum mulierum: sic homines iustos & fortes esse tantisper, dum divino afflatu excitantur, quo cessante cessat & virtus. Aristoteles

teles autem longè alia sententia, i lib. ad Nico-  
 divinum illud beatæ vitæ fundamentū contem-  
 pfit, totūque humanæ beatitudinis & princi-  
 pium & extremum ab hominis facultate & for-  
 tuna repetivit. Sed Aristotelis impietatem, quòd  
 homo seipso contentus esset ad beatè vivèdum,  
 ut de mundi æternitate, de divina humanarū re-  
 rum despiciètia & inscientia futurarū, de animo-  
 rum mortalitate detestare: Platonicam Philoso-  
 phiam, imò Christianā ausculta, vel potius dies  
 noctesque modis omnibus contende & enite-  
 re, ut coram Deo sanctus & immaculatus, car-  
 nis securitatem comprimis, vitam & mores ad  
 præscriptam pietatis regulam componas, tum  
 firma in Christum fide velut armatus: Domi-  
 nus (inquires) defensor meus est, quid trepida-  
 bo? Psal. 27. Qui stat, tamen videat ne cadat, i.  
 Corinth. 10. perpetuoque illud meditetur, sola  
 fide per putam Dei gratiam hominem servari,  
 & pro iusto apud Deum haberi, & Matthæi 11.  
 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati  
 estis, ego vos reficiam. Quapropter improban-  
 di sunt Manichæi, qui hominem omni actione  
 spoliabant, ac veluti stipitem ac truncum facie-  
 bant. Neque enim honestæ actiones hominis  
 contemnendæ aut inanes judicandæ sunt, cum  
 fructus fidei sint. A fructibus eorum cognosce-  
 tiseos, 7. Matth, 15. Item ex fructu arbor agno-  
 scitur, 12. Matthæi 33. Deus itaque actiones fi-  
 dei largissimè remuneratur, Matthæi 5. 10.  
 Gaudete & exultate, quia merces vestra copio-

sa est in cœlis: sed velut ex pacto legis, ut cursori primò metam contingenti præmium ex pacto certaminis persolvitur: nec enim cursus quamlibet magna velocitas per se & extra liberalitatem muneratoris tale quicquam mereatur: imò non ex pacto, sed ex paciscentis amore patrio. Et Augustinus ad Xystum, cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua. Divina igitur actionum nostrarum remuneratio gratuiti tantum amoris est.

*Cap. 2. De legis præmio.*

SEd jam tempus est dicendi de fidei actionibus, quales nempe Deus à nobis requirit: neque enim Deus ab homine pro hominis arbitrio, sed pro suæ divinitatis iudicio venerandus & colendus est, ut antè patuit. Actio fidei est in obedientia legis, aut in precatione & Sacramento. Lex propriè appellatur decalogus decem mandatorum: aliàs autem intelligitur totus in Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Pentateuchus, legis nempe interpretis flos & lator. Legis, igitur divinæ seu decalogi præmium singulare, 19. Exod. tali suavitate continetur quali Plato censet leges in civitate civibus suadendas esse. Confer huc itaque de mundi rebus publ. splendidissimam, tum percipies quid Deus præstet homini. Romana nomothesia trinundinum popularis per cornicinem ex agro evocationis habuit: deinde sententiæ rogationem: Velitis, jubeatis, Quirites: Postre-

Postremo à tribuum singularum suffragiis legislationem: at cœlestis divinæque legis institutio longè aliã promulgationem habuit, proœmium siquidem ad comparandam populi Hebræi observantiam erga Deum & reverentiam fit primo é commemoratione perceptorum beneficiorum & promissione futurorum. Vos vidistis (ait Iehova) quæ fecerim Ægyptiis, & quomodo tulerim vos super alas aquilarum, & adduxerim vos ad me: tum ergo si obediendo obediatis voci meæ, & custodieritis pactum meum, eritis mihi thesaurus dilectus præ omnibus populis, quia mea est universa terra, vos autem eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta. Hæc proœmii prima suasio est maximis in Deuteronomio & benedictionibus servanti legem & maledictionibus violanti plenius exposita, ut ad extremum sigillatim à nobis recolligatur. Hæc (inquam) proœmii prima suasio est ad populi benevolentiam é beneficio legis & fructu, populûsque Mosis Iehovæ verba referenti respondet. Quicquid dixit Iehova, faciemus. Illa nimirum fuit ad velitis, jubeatis Quirites, rogatori magistratui popularis acclamatio. Secunda proœmii suasionem Dei jussu populus sanctificatur à Mose, lavat vestem, triduoque ab uxorum consuetudine consortioque abstinet, jubeturque ad Sinaium montem adesse, sed mortis interdicto non propius positus terminis. Sic docilitas expurgata & sanctificata mente comparatur: cui parti potest adjungi & legis intelli-

gentia & à natura, & à patria a vitæque disciplina. Leges enim decalogi omnes excepta fortassis quarta (ut ait Aben Esra) suapte natura sunt homini illustres & perspicuæ, multisque antè læculis ac temporibus in hominum mentibus ingeneratæ sunt, quàm lapideis tabulis inscriptæ. Abe-  
 lis enim sacrificium Deo placuit, fratricidium i-  
 tem Caini displicuit: Immanes gigantum libidi-  
 nes inundatione terrarum sepultæ sunt: Deniq; Moses 18. Exod. 16. ait consulenti populo de legibus Dei sese respondere, cum tamen leges postea scriptæ sint. Itaque etiam 30. Deut. 11. scriptæ legis facilitas ad quamlibet ignorantie excusationem tollendum clarè prædicatur. Nam præceptum, quod præcipio tibi hodie non est occultum tibi, neque longius remotum est, non in cælo est, ut dicas: Quis ascendet pro nobis in cælum, ut tollat illud nobis, & recitet nobis illud, ut impleamus illud? Neque trans mare est, ut dicas, quis transfretabit pro nobis mare, ut offerat illud nobis, & recitet nobis ut impleamus illud? Sed propinquum est tibi verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud. Et sic Ieremiæ 32. loquitur Deus: Ponam leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Itaq; & pagani Poetæ hanc naturalem in animis nostris legem testificantur. Iuven. Sat. 13.

*Exemplo quodcumq; malo committitur, ipse  
 Displicet auctori, prima est hac ultio, quod se  
 Iudice nemo nocens absolvitur, improba quævis  
 Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.*

Tertia

Tertia & postrema suasionem cum præterito tri-  
 duo dies illuxisset, tonant fulgurantque toni-  
 trua & fulgura, lampades ardent, densissima  
 nubes opacat montem, monsque ipse (quia De-  
 us in igne super eum descendisset) fumat, vehe-  
 mentique terræ motu ac fremitu cōcutitur: tum  
 clangor buccinarum intentissimo subindēque  
 invalescente & increbrescente sono personat, a-  
 deo ut universus populus non modo attentus  
 sed attonitus perhorresceret. Atque hujus tertie  
 suasionis velut artificium Moses ipse exposuit  
 Hebræis 20. Exod. 20. Ne timeatis (ait) quia ut  
 tentaret vos, venit Deus, & ut sit timor ejus an-  
 te conspectum vestrum, ut non pereatis. Hoc  
 igitur est præmium legis, hæc ad audiendum  
 domini legem populi audientia fuit, hac rhe-  
 torica benevolus, docilis, attentus auditor sic  
 effectus est. Plato igitur recte censet miseris &  
 afflictis civitatibus salutare leges commodius  
 institui. Hebræus nempe populus quamvis du-  
 ræ cervicis, attamen gravissima Ægypti servi-  
 tute oppressus in deserto sine pane, sine vino  
 sustentatus, tot ac tantis antecedentibus mira-  
 culis excitatus, etiam isto divinæ legis tam mi-  
 rabili præmio ad obsequendum comparatur.  
 Hoc (inquam) divinum sanctæ legis est  
 præmium, præter quod in Exodo nullum est:  
 Mosaicum postea 5. Deuter. 1. cum lex repeti-  
 tur, additum est: Audi Israel statuta & judicia  
 quæ ego loquor in auribus vestris, & discite ea,  
 & custodite faciendo ea. Sed Mosis est præ-

mium non Dei, neque proœmium ferendæ legi propositum, sed cùm lex jam pridem lata recitaretur, ut septimo quoque anno recitadã præcepit, à Mose appositum.

*Cap. 3. De lege prima ad cultum Dei.*

SE D Deum ipsum divinas leges ferentem audiamus, ut est 20. Exodi. Et loquutus est Deus omnia verba ista, dicens:

*Ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto, & domo servorum.* ] Jehovæ nomothesia non est externarum tantum actionum, ut ferè sunt hominum leges, sed consiliorum & voluntatum & ex contrariis imperatis, quales tres sunt leges, contraria prohibent, antè prohibitis contrariis (quales sunt leges reliquæ) imperant contraria. Summa verò legis universæ est ἀγάπη pietas vel Christiano potius quàm Latino verbo charitas. Latinis enim pius & pietas activè, charus, & charitas passivè dicuntur. Finis itaque legis est charitas ad illum é Christi morte fructum consequendum, & ad illam animi corporisque sanitatem fructus illius remedio recuperandum. Lex igitur summa dividitur in duas tabulas. Prima tabula ad Dei gloriam refertur, & gloriosus ille Ezechielis triumphansque Deus huc imprimis recurrit. Et sic Christus Matth. 22. huc retulit. Diliges (ait) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Hoc est primũ & magnum mādaturum.

Primæ

Primæ verò tabulæ duo mandata sunt magis ani-  
mi: duo etiam corporis communia. Hæc enim  
quaternaria primæ tabulæ distinctio est hebræa,  
ut docet Aben Esra: Est græca ut Athanasius in  
Synopsis scripturarum, ut Origenes in Exodum,  
ut Chrysostomus in Matth. Homil. 49, ut Nazi-  
anzenus idem versibus complexus est: Est etiam  
latina ut Hieronymus & Ambrosius in epistola  
ad Ephesios capite 6.

*Ego Jehova.* } Primum primæ tabulæ præce-  
ptum affirmatur, ait Aben Esra: affirmatione igitur  
primi versiculi, prima lex affirmatur de Deo  
qui ppriè Iehova (ut antè patuit) appellatur: Ab  
ipso quippe sunt omnia & in ipso cõsistunt. II. Rõ.  
Atq; hic verbũ intelligitur mandãtis & imperã-  
tis ac legẽ ferentis ut Sum, tanquã diceretur: Ego  
Iehova sum Deus tuus. Potest etiam futurũ ver-  
bum intelligi, ut: Ego Iehova ero Deus tuus, si-  
cut intelligitur mox in quarto mandato ad eũ.  
locum. Dies autem septimus erit sabbathum Ie-  
hova: Illic enim (erit) in hebræo expressum non  
est, quale tamen postea, ut secundo versu *non e-  
runt*, verbum exprimitur. Item in secunda lege:  
*Non facies.* Verbum (inquam) Sum, vel Ero hic  
intelligatur, sed præsens a plerisque omnibus in-  
telligitur. Quapropter ego Iehova sum Deus tu-  
us & tu ideo me veneraberis & coles.

*Qui te eduxi.* } Periphrasis est quædam Ieho-  
væ é recentis beneficii nota, Iehova (inquam) il-  
le qui te feci exire é terra Ægypti, id enim est ad  
verbum, é domo servorum, é servili scilicet p̄stri

no ubi miserandum in modum vexabare conficiendis luto lateribus, ad eamque rem stramine conquirendo, ædificando thesaurorum & horreorum urbes Pharaoni, Pithonē & Ramassem & quidem fame penē enectus, liberisque masculis barbarē atque immaniter extinctis ad interitum trahebare, 1. Exod. 11. 15. Sic 13. Exod. 3. domus servorum pro Ægypto usurpatur, quia ibi durissimam servitutem Hebræi servierunt. Hebræis denique Ægyptus crudele pistrinum miseræque servorum domus fuit. Iehovaitaque tanti beneficii tibi author, sum deus tuus, & tu vicissim populus meus: Populus enim hebræus pars est Iehovæ & Iacobus pars hæreditatis ejus: invenit eum in terra deserti & in vastitate horroris deserti circumduxit eum, instruxit eum, custodivit eum ut pupillam oculi sui, ut aquila, quæ excitat nidum suum, super pullos cubat, expandit alas suas, assumit eum, portat eum super alas suas, 32. Deut. 9. Sic idem popul<sup>9</sup> Dei peculiaris dicitur ibidem capitibus 4. 26. 27. Populus primogenitus Dei appellatur. 4. Exod. 22. Portatur à Deo tanquam filius 1. Deu. 31. Estque Deo tanquam dilectus thesaurus, 19. Exod. 4. Quare pro beneficii tanti tamque recentis recordatione ac memoria cultus à beneficiario populo exigitur: & tamen pro recordatione beneficii deinde etiam ad omnes populos attinentis. Neque enim Dei vox ista præsentibus & vivos tantum, sed successores & posteros complectitur. Et sic Moses paulo ante mortem ad Hebræos il-

lius

lius Israelis ( qui Iehovam leges promulgantem audierat) posteros jam tum transferebat 5. Deuter. 3. Non cum patribus nostris tantum pepigit Iehova pactum istud, sed etiam nobiscum, qui sumus hinc & hodie nos universi vivimus. Neque vero illum Israelitici populi Israeliticum successorem tantum populum, sed quem vis a Christo adoptatum complectitur. Sic Paulus II. ad Rom. Tu vero cum esses oleaster, insitus es illis & consors radicis & pinguedinis oleæ factus. Iehova igitur Deus noster erit, & nos ejus populus cum ex eo consilia, cogitationes, facta, dictaque nostra omnia repetemus, ad eumque referemus, cum eum tota mente, toto corde, tota anima colimus: cum denique nosmetipsos abnegabimus, & ei penitus addicti devotique, immaculatam, innocentem, sanctam servitutem serviemus. Quicumque confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo qui in caelis est: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram patre meo, qui est in caelis. Itaque qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus: & qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus: qui invenerit animam suam, perdet eam, & qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam 10. Matth. 32. & 16. Matth. 24. Mandatum itaque primum colendi Dei ut omnium ordine & dignitate primum est & fundamentum (ait Aben Ezra) cæterorum mandato-

rum, sic cultu & observantia gravissimum & difficillimum. Ideoque cum Christus 19. Matth. 21. adolescenti æternam vitam querenti, respon- disse: Si vis perfectus esse, abi, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, ad eum sequere me: adolescens tristitia affectus abiit tanquam abnegatio sui longè difficillima res esset. Itaque 10, Matth. 28. Christ<sup>9</sup> vetat ab hominibus timendum qui corpus occidere possunt, animam non possunt, sed Deum timendum esse qui potest & corpus & animam gehenna perdere. Colendi autem Dei sacrificia olim varia fuerunt, hostiæ imprimis immaculatæ bouum, juvencorum, arietum, agnorum, hircorum, hædorum, turturum, columborum, passerum, thuris, olei & aliorum fructuum, similæ, placentarum, libaminum, eaque publica & ordinaria ut quotidianum matutinum & vespertinum ut sabbathinum ut solennium festorum tum privatum ut pacificum laudis vota pro cuiusque generis peccato, in quibus Leviticus totus consumitur: at divinum cultum Christus ad unam mentis puritatem pietatèque revocavit, sacrificia illa omnia uno sui corporis sacrificio sustulit. Verum enim verò similitudo divinitatis in homine offensione legis hujus præcipuè violata est, ideoque lex sancitur ad eam instaurandum & renovandum. Peccatur igitur in primam legem imprimis atheismo cum belluinæ quædam hominum naturæ Iovem é cælo (ut in fabulis est) gigantum more detrahere conantur, deumque

deumque ullum negant esse. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus Psal. 14. Peccatur vanis divinationibus astrologorum, augurum, haruspicum, præstigiatorum, maleficorum, incantatorum per ignem traductis liberis divinantium, somniatorum, quæ omnia damnantur 20. Lev. 6. 27. Item 10, & 18. Deut. Somnia tamen divina pleraque sunt in sacris literis. Peccatur superstitionibus plerisque ut incisione carnis & stigmatum inustione, decalvatione, damnatis 19. Lev. 18. 28. item 14. Deut. 1. item 1. Reg. 18, 28. item Jerem. 16. 6. Peccatur à falsis prophetis etiam miracula facientibus, quos Deus jubet interfici, ne vel miraculis Dei verbo contrariis ulla fides adhibeatur, 13. Deut. Peccatur immani illa barbaraque liberorum immolatione, quæ Molocho fiebat 20. Levit. 2. Peccatur denique incredulitate & de divinis promissionibus diffidentia quæ Deus acerrimè ultus est, protinus in Adamo serpentis astutia seducto, cum Deo similis creatus tam dissimilis effectus est. Sed adversus Hebræos ultio illa mirabilis est 14. Num. cum Chaleb & Iosua verum de Chananea renuntiantes à populo promissis Dei diffidente, & nihil credente pene lapidati sunt, tum Deus ira accensus, jurat è toto Israele solos Chaleb & Iosua in Palestina possessionem ingressuros, cæteris autem sic ait: In deserto isto cadent cadavera vestra. Itaque omnes ab anno vicesimo cæsi exceptis duobus illis supra sexcenta viginti quatuor millia, ut constat 26. Num. 5. & deinceps in deserto con-

sumpti sunt. Atque ad hanc ipsam vel incredulitatem vel diffidentiam referri potest invocatio quam mortuis sanctis nomine *δουλείας* & servitutis attribuendam Romani pontifices persuaserunt. cultus enim vel servitium soli Deo debitum in invocatione consistit, estque hoc sacrificium non communicandum creaturis, August. lib. 10. cap. 4. & 6. de civit. nec ullum de sanctis invocandi est præceptum in Christiana fide, sine qua tamen (ut ex Paulo jam patuit) peccatum est quidquid in religionem inducetur: præceptum (inquam) propheticae vel apostolicae fidei hic nullum est, imò manifesta est in sacris literis prohibitio. Ioan. Apoc. 19. 10. ab angelo reprehenditur quod ad ipsius genua procidisset. Et cecidi (ait) ante pedes angeli, ut adorarem eum, sed dixit mihi, vide ne feceris, conservus tuus sum unus ex fratribus tuis, qui habent testimonium Iesu: Deum adora, testimonium enim Iesu est spiritus prophetiae. Et Cornelius Actor. 10. 26. a Petro simili de causa reprehenditur: nam cum Petrum adoraret, Surge (ait Petrus) & ego ipse homo sum. Neque igitur angelis, neque hominibus quamlibet sanctis cultus ullus attribuendus est. Adorari verò homines dicuntur, sed humano & civili honore, qui divini cultus longè dissimilis est. Deus enim, ut æternus, infinitus, optimus spiritus adoratur, homini autem nemini talis adoratio tribuitur. Sic 23. Gen. 7. Abrahamus incurvat se populo terræ, id est, inclinatur vel adoratur: Adoratio enim pro simplici reverentia etiam sumitur,

mi  
alic  
& I  
ad  
mi  
gita  
Deu  
tur,  
tran

N  
neq  
super  
infra  
Se  
Efra,  
qui h  
tur n  
vult,  
reno  
leho  
bolo  
fic le  
vam  
adha  
jun  
nim

mitur, quæ geniculatione vel incurvatione aut alio corporis motu efficitur. Sic Esa<sup>9</sup> ab Iacobo, & Iosephus à fratribus in Genesi flexis genibus adorantur: sed honor ille nequaquam fuit animi ullam aliam quàm humanam potentiam cogitantis. Quare qui mortuos invocant, fidem in Deum inficiantur, diffidentiamque profitentur, quia Deo melius aliquid & clementius arbitrantur.

*Cap. 4. De Lege 2. adversus idololatriam.*

**N**ON erunt tibi dii externi ante faciem meam: non facies tibi imaginem lapideam aut ligneã, neque ullam similitudinem eorum quæ sunt in cælo supernè, aut quæ in terra infernè, aut quæ in aquis infraterrã, non incurvabis te illis, neque servies illis.

Secundam deinde legem distinguit hic Aben Esa, refertque ad idololatriam, eosque refellit qui hîc primam legem instituebant. Iehova igitur non solum Deus esse, sed solus Deus haberi vult, ut deletam hominis cû Deo similitudinem renover. Immolans enim alij Deo præterquam Iehovæ soli, occidetur, 22. Exod. 26. Et in symbolo Dei vnitas in trinitate demonstrata est: Et sic lex utraque conjungitur 10. Deut. 20. Iehovam Deum tuum timebis, illum coles, illique adhærebis. Atque ita Christus Matth. 4. 10. conjunctè repetit & interpretatur. Scriptum est enim dominum Deum tuum adorabis, & ei so-

li servies. Hæc verò deorum externorum idololatria qua homo diabolo similis efficitur, in Exodo & Deuteronomio valde iteratur. Non adorabis Deos Chananæorum. Item non incurvabiste Deo alteri. Itē non ambulabitis post Deos alios é diis populorum finitimorum. Item Non coles Deos populorum, quos Iehova Deus tuus dat tibi. Item Cave ne inquires de diis externarū gentium. Item nunquam recesseritis ab omnib. verbis quæ ego præcipio vobis ad dexteram aut sinistram eundo post Deos externos, ut colatis eos. Item, Quod si averterit se cor tuum & non audieris ac impellaris ac incurvaveris te diis peregrinis, coluerisque eos, denuntio te funditus periturum: & consimilibus præterea locis quibus intelligitur idololatriam mirandum in modum Deo invisam esse. Cū igitur Iehova populi sui Deus esse velit, prohibet peregrinos adorari Deos ante faciem suam, id est non tantum exteriori corporis adoratione sed animi, cujus intima sensa ut est 29. Deut. 29. Deo aperta sunt, in teriore confessione ut non specie & simulatiōe, sed toto corde, tota mente, tota anima solus observetur & colatur.

*Non facies tibi imaginem.*] Pars est secundi mandati ex hebraica illa distinctione. Quidam tamen é duobus primis mandatis fecerunt unū, & primæ tabulæ tria tantum mandata constituerunt, secundæ septem, dividendo ultimum bifariam, é quo rursus ad decimam legem. Hos aucthores habuit Augustinus lib. 2. quæstionum in Exodum

Exodum cap. 71. ut trinitatis gratia tria primæ  
 tabulæ mandata fierent. Atqui ista partitione  
 idololatriæ prohibitio postea sensim populo  
 subducta est: quamvis Augustinus in libro quæ-  
 stionum veteris & novi Testamenti cap. 7. ve-  
 terem partitionem posteriore repudiata tan-  
 dem sequutus sit. Quare Non facies, erit pars  
 secundæ legis ad species externorum deorum  
 declarandum totamque externi cultus idolola-  
 triam detestandum. Species igitur idolorum ut  
 in ipsa lege similiter repetuntur 20. Exod. 23.  
 Ne faciatis mecum deos argenteos, neque deos  
 aureos. Item 27. Deuter. 15. Maledictus vir ille  
 qui fecerit imaginem lapideam aut ligneam aut  
 e quovis metallo fusam, abominationis Iehovæ  
 opus manuum artificis & posuerit in abscondi-  
 to, Item 29. Deuteron. 17. Vidistis abominatio-  
 nes earum & idola earum lignum & lapidem, ar-  
 gentum & aurum, quæ sunt apud illas, ne forte  
 sit inter vos vir aut mulier, aut familia, aut tri-  
 bus cujus cor avertat sese hodie à Iehova Deo  
 nostro, ut vadat ad colendum deos harum gen-  
 tium, ne forte sit in vobis radix fructificans ve-  
 nenum & absinthium. Sic Esaias docet infami  
 & probrosa fictiõe scædari majestatem Dei, dum  
 spiritus incorporeus, invisibilis, incomprehen-  
 sibilis materiæ corporatæ, visibili, pusillæ assi-  
 milatur. Et Ezechiel hanc abominationem in-  
 dignatus stercoreos deos appellat. Hæc eandem  
 idololatriam in Atheniensibus Paulus detesta-  
 tur: Genus cùm simus Dei (ait) non existiman-

dum est auro aut argento aut lapidi arte sculpto  
 & invento hominis, divinum esse simile. Quare  
 non tantum hic ex auro, argento, lapide, ligno,  
 signa quælibet, sed pictæ tabulæ, pictæ qualis-  
 cunque effigies reprehenduntur: Lex enim di-  
 fertè prohibet cujuscunque rei similitudinem,  
 quo Græcorum idololatria palam convincitur,  
 qui totos templorum suorum parietes depictos  
 habent. At non Lysippos tantum & statuarios  
 sed Apelles & pictores qualescunque imaginum  
 artifices Deus è templo suo ejicit: ne quis hæc su-  
 perstitiosus opponat superstitiosam idoli & ima-  
 ginis differentiam. Hebraica enim vox genera-  
 lis & communis est ad omnem similitudinè: cul-  
 tus (inquam) & adoratio prohibetur quarumli-  
 bet vel imaginum vel omnino similitudinum, si-  
 ve subjecta res sit in cælo sive terra. In cælo, ut  
 Deus & angeli: spiritus enim sunt, & quidem in-  
 visibiles, quorum naturam nulli visibiles colores,  
 nulla oculis subjecta lineameta imitari possunt.  
 In cælo sunt sol & luna stellæque reliquæ: unde  
 præter planetas, imagines octo & quadraginta  
 paganis pro diis cultæ sunt: In terra sunt homi-  
 nes, pecudes, plantæ: terræ alveis ripisque ac lit-  
 toribus coercetur maria, flumina, fontes, inque  
 iis pisces, quorum omnia simulachra pro diis gen-  
 tes habuerunt, cujusmodi falsa numina modo  
 improbantur. Et fere per easdem species iteran-  
 tur 4. Deut. 15. Cavete ergo diligenter animis  
 vestris, non enim vidistis ullam imaginem die quo  
 loquutus est Iehova ad vos in Horebo è medio  
 ignis,

ignis, ne forté corrumpatis vias vestras, & faciatis vobis imaginem ligneam aut lapideam, aut similitudinem ullius simulachri, id est effigié masculi aut fœminæ: effigiem cuiuscunque animalis, quod in terra degat, effigiem cuiuscunque volucris alata, quæ volet per cœlum: effigiem cuiuscunque repentis in terra: effigiem cuiuscunque piscis qui in aqua degat sub terra. Néve attollas oculos tuos in cœlum, & videas solem & lunam & stellas, omnem militiam cœli, & impellaris, & incurves te illis, colásque ea, quæ distribuit Iehova Deus tuus omnibus populis sub toto cœlo. Quamobrem secundo mandato prohibetur cuiuscunque imaginis & similitudinis non fictio sed adoratio. Neque inepté ab illo potest dictum

*Qui fingit sacros auro vel marmore vultus*

*Non facit ille Deos, qui colit ille facit.*

Iudæis veró quamvis frequenter antea lapsis, at tamen tandem legis hujus reverentia tanta fuit, ut cum Pilatus Tiberii statuem Hierosolymis in templo collocare vellet, pœnámque capitis obfistentibus intermineretur, ultro capita sua obtulerint, seseque anté mortuos affirmarint, quam tam indignum contra legem domini facinus admitterent, ut Iosephus author est. Itaque etiam templa Christianorum quingétos ferme annos simulachris omnino caruerunt: ac ne quis supersticiosus idololatriam ullam positurum in templis imaginum prævaricaretur objicere atque cum Gregorio, quod doctis & legentib<sup>9</sup>,

scriptura sit, id videntibus idiotis picturam esse, & imagines idiotarum libros esse, nec eas adorari: Etenim adoratio disertis verbis a Deo ipso hinc definitur incurvatione genuum summissique animi veneratione: quæ omnia templorum imaginibus exhibentur a simplici & imperito populo genibus inflexo & incurvato: imò genua ipsa simulachrorum osculante careosque ipsi sthuraque incendente: & Abachus ac Ieremias (unde Gregorius debuit contrarium assumpsisse) perspicue profitentur ab imaginibus nihil nisi commentum & mendacium doceri: docendi verò sunt idiotæ verbum domini & in sacris mysteriis exercendi. Hæc doctrina illis est ad discendum & exercendum à Deo proposita. Et sic Deus olim per Mosem & prophetas hebræum populum idiotam docuit, sic Christus Christianum populum idiotam erudit, sic exercuit, nõ præcepit ut idolis & imaginibus idiotæ erudirentur. Quod igitur Deus præcepit, hoc facite, non autem quod vobis rectum videatur, ut prædictum est: & sit aliquando pudor divinæ sapientiæ humanam stultitiam antepondere. Enim verò Epiphanius cum in quodam templo velum Christi imagine pictum vidisset, scidit illud, quia contra auctoritatem scripturarum id fieret: & ad episcopum loci scripsit, ne tales imagines in templis esse pateretur. Huic igitur sancto viro laudabile fuit imaginum ruptorem esse. Sic Lactantius, Non est dubium (ait) quin religio nulla sit, ubicunque simulachrum est. Et sic Augustinus

stinu  
re fir  
cet p  
à Re  
nos li  
set (a  
quam  
men  
potui  
magis  
in tem  
tria: ip  
viven  
li tant  
cultu  
trantu  
templ  
datum  
orum  
sphem  
li mag  
ratio m  
in temp  
arguit  
Qu  
vindica  
in nepot  
exercen  
tate qua  
Primæ  
ipsi add

stinus pronuntiat nefas esse non modò adora-  
re simulachra, sed Deo collocare. Quin Varro li-  
cet paganus, attamen apud Augustinum ait deos  
à Romanis plusquam centum & septuaginta an-  
nos sine simulachro cultos esse: quod si manifes-  
set (ait) dii castius observarentur. Et Aristoteles  
quamvis plerisque locis manifeste impius, attamen  
deos *αὐτῶν τοῖς θεοῖς* humana species ferre non  
potuit. Sarracenis verò non alia res Christianos  
magis odiosos & invisos efficit quam nostra hæc  
in templis atque in omnibus ferè locis idolola-  
tria: ipsi verò contra nullam apud se usquam rei  
viventis imaginem esse patiuntur. Impii igitur il-  
li tanto Christianis plerisque in eo sanctiores  
cultum divinum simulachris prophanari arbi-  
trantur: Neque Nicena synodus imaginum in  
templis adorandarū inventrix contra Dei man-  
datum valebit, præsertim cùm ipsa authorum su-  
orum sententiis ut impijs & in Dei gloriam bla-  
sphemis abundè refutetur: Et tamen jam Caro-  
li magni tempore refutata est. Quapropter ado-  
ratio mandato secundæ legis definita, positarum  
in templis imaginum idololatriam manifestè co-  
arguit & convincit.

*Quia ego Jehova Deus tuus sum potens, zelotes,  
vindicans quidem perversitatem patrum in liberis,  
in nepotibus, in pronepotibus odio habentibus me:  
exercens autem beneficentiam in millesima posteri-  
tate qua me diligit & mandata mea custodiat.*

Primæ legis neque pœna neque præmium legi  
ipsi additur, sed deinceps quòd esset primæ & se-

cunda legis commune consequitur, pœna idololatriæ, præmium veris cultoribus.

*Potens.* ] Ad idololatrias terrendum refertur, ne quis se a domini deiq̄ue potentia ac minis liberum esse cogitet. Ille enim ipse Ichova deusque est omnipotens, qui fidei symbolo definitur, Ego sum fortissimus Deus, Gen. 43, quomodo & Deus exercituum dicitur, 2. Reg. 30. cap. sæpeq̄ue aliàs. Quoniam igitur cogitas idololatriam ut manum Dei effugias?

*Quò* (inquã) *fugis Encelado? quascũq; accesseris*  
*Sub Jove semper eris.* Claudianus. *(oras,*

Sic antea fuit, Quocunq; abiero, inde manus tua deducet me, & apprehendet me dextera tua. Psal. 139.

*An nescis longas regibus esse manus?* ait ille.  
 Quantas igitur regis regum manus esse arbitraris?

*Zelotes.* ] Metaphora rudibus hominum sensibus est aptissima, qua præcipuè singularem illum venerationis & adorationis amorè in Deo percipimus, ut æmulum nullũ, rivalem nullum ferre possit, solus amari velit. Sic idem repetitur 4. Deut. 24. cùm istam idololatriam Deus prohibet: Nam Ichova Deus tuus ignis consumens est, Deus Zelotes. Item 34. Exod. 14. Non incurvabistis Deo alteri, nam *Jehova Zelotes* nomen ejus, Deus Zelotes est. Itaque, Gloriam meam alteri non dabo, ait Iesã. 48. 11. Ergo gloriæ hujus studio atque amore Zelotes appellatur. Sed metaphora plenius excutiatur. Conjugum in-

ver se proprius amor est: vir alienæ uxori nisi adulter, uxor alieno viro, nisi adultera non commiscetur: Vir uxoris est unius totus: vxor viri unius est tota, duoque omnino in carne una: seculus adulterium est, capite vel humanis legibus puniendum. Adorationis cultus animorū Deo deditorum conjugium quoddam est: Si animus igitur alieno Deo vel divo vel cuiuscunque nominis numini supplex flexisque genibus accidit, adulterium est animi perdita libidine atque impia deoque odiofissima prostituti. Iulianus apostata nomine hujus metaphora Deo calumniam imponebat, tanquam more hominum Zelotylo: at scriptura sacra nostris sensibus hoc modo plerumque balbutit: ac si plerisque talis idolomania adulteros videamus, non idcirco Dei vel impotentia vel non curantia attribendum est: figulus enim ille novit cur ea dedecoris & infamiae vasa finxerit, ut jam patuit: nec Dei manum ultionemve fontes tandem effugient, nec apostata calumniator effugit. Quare gravitatem offensionis, vindictæ magnitudine perpendito.

*Vindicans perversitatem patrum.* ] E mandatis negativis hoc primum pœnam maleficis constituit. Si quid humanitus pater offenderit paterna offensa patris ipsius supplicio luetur, posteritas ut extra culpam sic extra pœnam erit. Deuteronomii 24. 16. Parentes pro liberis morte non plectentur, nec liberi pro parentibus. Sed quisque morte peccatum suum

luct. Item 2. Regum 14. 6. & Ezechielis 18. 20. At si honorem Deo debitum alteri quam ipsi Deo pater detulerit, impietatis reus erit non solum pater, sed filius, sed nepos. Divinae igitur ultionis adversus idololatriam comminationes hic appositae sunt. Itaque ad tantum scelus evitandum omnes idololatriae causas & occasiones Deus effugiendas & evitandas frequenter admonet, 7. Deuter. 5. de diis gentium: Altaria eorum destruetis, & statuas eorum confringetis, lucosque eorum succindetis, imaginisque lapideas & ligneas eorum comburetis. Item. 12. Deuteron. 2. 3, Omnino perdetis omnia loca in quibus servierunt diis suis super montes excelsos & super colles, & sub omni arbore viridi, diruetisque aras earum ac statuas confringetis: lucos item earum comburetis igni, & lapideos & ligneos deos earum concidetis perdetisque nomen earum e loco ipso. Quare ita jubet Deus altaria, statuas, arbores, lucos, imagines, denique omnia idololatriae loca funditus everti, ut ne nomen quidem supersit: ad eandemque causam 34. Exod. 12. vetat ne cum idololatriis foedus facias, ne te sua consuetudine ad idololatriam abducant: eaque de causa videtur Mosis sepulchrum occultatum esse 34. Deutero. 6. ne qua hic idololatria contingeret. Tandem igitur Deus idololatriam lapidari jubet 17. Deuteron. 2. Praeterea si frater, si filius, si uxor, si quamlibet amicus te ad idololatriam adhortetur, lapidari jubet: Quinetiam horri-

horribile illud vel universæ civitatis anathema præscribit. Si cives à Deo in idololatriam averfi sint, percutiendò ait Iehova percuties habitatores urbis illius, acie gladii perdédò eam, & quidquid in ea fuerit & inventa in acie gladii: atque omnia spolia ejus congregabis in medio plateæ ejus, & combures igne urbem ipsam & prorsus omnia spolia ejus Iehovæ Deo tuo, eritque tumulus perpetuus, nec ædificabitur amplius: neque adhærebit manui tuæ quicquam de anathemate, ut avertatur Iehova ab ira furoris sui, ut te beneficiis cumulet, misereaturque tui, ac multiplicet te, quemadmodum juravit patribus tuis. Sed exempla ipsa sunt etiam graviora: Quale est illud vix lata lege commissum cùm Hebræos, quia aureum vitulum adorassent, Iehova perdere statueret, nisi Moïsis precibus esset placatus: tum igitur Levitæ Moïsis jussu é suis & filiis & fratribus & propinquis, & amicis quibuslibet tria millia in hanc ultionem necaverunt: & Iehova tamen pleniorè animadversionem in suum tempus rejecit, 22. Exod. 34. Cùmque vetus idololatria nova Belphegoris idololatria cumulata esset, tum cæde (ut est 35. Num. 1.) viginti quatuor millium utrùmque scelus expiatum est, Talia deinde exempla sunt duplicis captivitatis propter idololatriam & Assyriæ, de qua est 2. Reg. 17. & Babiloniæ, de qua 2. Regum 23. & 24. cap. Quapropter posterì in quartam usque generationem paternæ impietatis pœnas luent, sed præcipuè in paterna pœna perse-

verantes. Differt enim Deus plerumque meritas pœnas, & emendatiorem vitam melioresque mores expectat, ut vel patris improbitas filii probitati condonetur aut differatur. Sic Iosia regi Deus propter ipsius pietatem dedit, ut in pace moreretur, nec videret sequentium temporum mala, quæ propter avi Manassis impietatem Iudæis eventura erant: ut est 2. Reg. 22. Iosia autem mortuo ultio ad ipsius filios Manassis impietatem sequutos rediit: At si patris scelus scelere filii cumuletur, tarditas vindictæ acerbitate supplicii compensatur, totaque tandem familia stirpitis evertitur. Illi nimirum pedes lanci sunt quos diis suis pagani affixerunt. Quapropter idololatria tam acerbè severeque à Deo vindicatur, nec interea tamen injustus Deus, si gratia sua posteros impiorum dedignatur. Nec locus Ezechielis, quod filius non portet iniquitatem patris, contra est, Iudæos admonentis plecti ipsos suis non patrum suorum maleficiis, cum peccata patrum peccatis suis cumulassent.

*Exercens autem beneficentiam in millesima.]*  
 Pœna idololatriæ est proposita, quod secundæ legis est proprium, præmium veris adoratoribus modo proponitur, quod ad primam legem est referendum. Ingrata est Deo impietas & idololatria invisa, sed pietas longe gratissima charissimaque. Itaque Deus pios amplissima remuneratione remuneratur ut paternæ pietatis fructum percipiant in millesimam progeniè  
 Et

*Et nati natorum & quinascentur ab illis.*

Cujus insigne exemplum est in Abrahami posteritate . Credidit sanctus patriarcha, & ei imputatum est ad justitiam . Hinc Dei benedictiones mirabiles non solum in Abrahamum ipsum, sed in Isaacum filium, in Iacobum nepotem, in pronepotem Iosephum & deinceps in totam Abrahami posteritatem continuate: nam pro septuaginta capitibus (quæ duce Iacobo in Ægyptum ingressa sunt) sexcenta posteriorum millia duce Mose sunt egressa ex Ægypto. Deus igitur erga pios sic affectus est, ut non tanquam fideles servos locupletare, sed velut amicos sibi familiares efficere videatur . Colloquitur cum Mose facie ad faciem: luctatur cum Iacobo, ut velut antagonistam exerceat, convivatur cum Abrahamo velut hospes cum hospite antiquo: facit denique quod omnium maximum est: pios veluti Deos & cœlestis regni participes . Quare beneficentia Dei mirabilis est erga pios piorumque posteros, modò tamen posterii permaneant in parentum vera pietate, puraque religiõe, & pro veri cultus continuatione præmia ipsa non continuantur solùm, sed novis accessionibus amplificantur . Non idcirco tamen statues universos ab origine prima vel impia miseros in progeniem quartam: vel pia felices & fortunatos in millesimam: interea siquidem potestas Deo reliqua est pro moribus factisque hominum, proque suæ divinitatis arbitrio & severitatis leniendæ & largitatis contrahendæ. Sed

perspicua signa tum vindictæ tum beneficentiæ definitis illis temporibus ac sæculis in plerisque gentis ejusdem perspicies. Quamobrem hæc in idololatrias & superstitiones imaginum cultores pœnâ gravissima est constituta. Hoc præmiû piis & veris Dei cultoribus longè amplissimum est constitutum, vindictæque in sobolem quartam, remuneratio in millesimam idcirco proponitur: ut constet Dei misericordiâ justitia (quâvis utraque per se infinita sit) tamen erga homines tanto majorem declarari. Affirmatio igitur opposita secundæ legis inficiationi erit lex prima, in iisque duabus solis legibus & pietas & pietati contraria impietas explicantur. Deus itaque pure mente, puro spiritu (hic enim Dei imago præcipuè imprimitur) ut pura mens purusque spiritus est, colitur atque adoratur, quod in puerili ludo melius ille docuit quàm à plerisque Theologis in Dei templo doceatur.

*Si Deus est animus nobis ut carmina dicunt,  
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.*

*Cap. 5. De lege tertia, adversus vanum jusjurandum.*

**N**ON assumes nomen Jehova Dei tui temerè, quia Jehova non relinquet eum inultum, qui assumpserit nomen ejus temerè.] Mandata duo superiora ad animam magis spectant, duo reliqua etiam corporis obsequium complectuntur, neque animo solo solâve mente continentur. Tercio

tio igitur mandato species divini cultus non solum in mente, sed in lingua & oratione ostenditur é vero & necessario per Deum juramento. Impietatem & blasphemiam divini nominis, lex prohibet, unde contrarius honor cultusque precipitur. Iurare veró per nomen Iehovę, est ipsum Iehovam nostri testimonii assertorem vindicemque tanquam occultorum cordium scrutatorem appellare, ut si fallamus, fallaciam vindicet & ulciscatur. Itaque religionem & adorationem in juramento versari intelligimus. Jusjurandum veró nequaquam prohibetur hac lege, sed vanum jusjurandum. Deus enim ipsemet jurat. Nam (ut Hebręorum 6. 13. Paulus ait) Abrahamo cum non posset per quenquam maiorem jurare, iuravit per seipsum, dicens: Certę benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te. Sed Deus 14. Num. 21. jurat apertius per seipsum. Veruntamen vivo ego, & repleo gloria mea universam terram: quod omnes illi qui viderunt gloriam meam, & signa mea quę feci in Ægypto & in deserto, & tentaverunt me jam decę vicibus, nec paruerunt voci meę, non videbunt terrā, de qua iuravi patribus eorum: neque quisquam eorum qui me irritaverunt, videbunt eam. Sic igitur Deus jurat. Homines autem, ut est Hebręorum sexto, decimosexto. per eum jurant qui sit major, atque iisdem omnis controversię finis est jusjurandum in confirmationem. Sic Abrahamus 14. Geneseos vigesimo secundo iuravit Regi Sodomorū: Levavi manum meam ad

Iehovam Deum altissimum possessorem cœli & terræ si à filo usque ad corrigiam calceamenti accepero, ex omnibus quæ sunt tibi, ne dicas ego ditavi Abrahamum. Hic ellipsis est imprecationis, quæ exprimitur 1. Samuel. 14, 44. Sic faciat mihi Dominus, & hoc addat, vivit Dominus, jurat David 2. Samuel. 12. Item vivit Iehova, jurat Ethaius, 2. Samuel. 15. 21. Paulus etiam pauló secus jurat, 2. Corinth. 1. 23. Ego verò testem Deum invoco in animam meam, quòd parens vobis nõdum venerim Corinthum. Sed præcipua quædam jurisjurandi religio fuit in fœdere faciendo, quomodo Labanus & Iacobus 31. Geneleos 44. jurant. Speculetur (ait Labanus) Iehova inter me & te, quando abscondemur alter alteri. Item ibidem: Nemo est nõbiscum: sed vide quòd Deus est testis inter me & te. Postremo addidit, Deus Abrahami & Dii Nachoris judicent inter nos. Jurat quoque ibidem Iacobus per pavorem patris sui. Sic apud Poetam Æneas & Latinus pagano suo more jurant.

*Esto nunc sol testis & hac mihi terra precãti. &c.*  
*Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus*  
*Suspiciens cœlum, tenditq; ad sydera dextram,*  
*Hac eadem Ænea terrã, mare, sydera iuro. &c.*  
 Sed ceremonia etiam hic fuit antiquis, cuius obscurior quædam nota est, 15. Genes. 9. 17. 18. cum inter divisas eque regione positas dissectorum animalium partes lampas ignea decurrit ad divinum fœdus cum Abrahamo ferendum.  
 Quod

Quod (ut apud Livi.) Romani ad confirmandum fœdus Albanum percusso porco quodammodo imitati sunt, ubi pater patratus ita loquitur. Si populus Romanus (ait) prior deflexit publico cōsilio, dolo malo, ita illo die Iupiter popul. Rom. sic ferito, ut ego hūc porcum hodie feriā, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id ubi dixit porcum saxo silice percussit. Quo spectat & illud Poetæ:

*Et casa jungebant fœdera porca.*

Iusjurandum etiam quoddam est illa detestatio 27. Matth. cūm Pilatus hortando Iudæos nihil proficeret, accepta aqua abluit manus coram populo, dixitque: Innocens ego sum a sanguine iusti hujus, vos videritis: Et respondit universus populus, Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Sedenim adjurandi formula propria fuit Hebræis per manum femori applicatam. Sic Abrahamus ait servo suo, 24. Genes. 2. Pone manum tuam sub femore meo, ut adjurem te per Iehovam cœli & terræ. Sic Iacobus adjurat Iosephum, 40. Genes. 29. Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, pone quæso manum tuam sub femore meo, & facies mecum misericordiā & veritatem: Ne quæso sepelias me in Ægypto. Alia formula deinceps fuit, ut 7. Iosua 19. Iosua Achamum sic adjurat: Fili mi, da quæso gloriam Domino Deo Israelis, & da illi confessionem, indicaque mihi quid feceris: ac ne celes me. Quod Pharisæi Ioan. 9. usurpant in cæco nato, Da (inquiunt) gloriam Deo. Dissimilis autem

formula est adjurandi, 26. Matth. 63. Adjuro te per Deum vivum, dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Itaque licet & privatis & publicis in rebus (ubi fidei necessitas exigit) sobrie, sancte pie per nomen Domini jurare: mandatoque tertio vanitas jurisjurandi per nomen Domini non autem necessaria veritas prohibetur. Non jurabis in nomine meo mendaciter, neque pollues nomen Dei tui. Ego Iehova 19. Levit. 12. Sed Christi voce impietatis hujus prohibitio multo plenius exponitur Matth. 5. At ego dico vobis, Omnino ne jurate, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Ierusalem, quia magni regis civitas est: Non item per caput jurabis, quia ne pilum quidem dealbare potes aut denigrare, sed vester sermo sit ita, ita, non, non: quod præterea est, à malo est. Repetitur item consimilis vanitas juramenti, 23. Matth. 16. per templum, per aurum templi, per altare, per donum altaris, ubi Christus ait, tum quoque per Deum jurari habitantem in templo, in altari, ut ejusmodi juramenta licet per Deum nominatim non fierent re ipsa tamen in Deum blasphemia essent. Hæc Christi à Christo ipso minimè dubia interpretatio est, ubi necessitas nulla sit, simpliciter affirmandum esse vel negandum, ita, ita, non, non: quod præterea sit, ut per cœlum, terram, Ierusalem, caput, id omne esse malum atque improbandum. Itaque qui illud à malo, sic accipiunt tanquam si homines  
*justi*

justi essent, jurejurando nihil opus foret ut neq; legibus: Neque ut legum sic jurisjurandi initium esse a malo: Quomodo & bonæ leges à malis moribus oriri dicuntur: qui (inquam) illud à malo sic accipiunt, subtiliter quidem & acuté moventur, sed neque Christo neque loco convenienter, neque enim in Deo jurante quicquam est a malo. Quare per falsa numina jurare prohibemur, ut falsà ipsa numina venerari antea prohibitisumus: quæ etiam tum à nobis adorantur, cum per ea juramus: quo sensu pene licet Ethnicus, Menander jusjurandum prohibet.

Ὁρκον ὃ φεύγει καὶν δικαίως ὁ μὴνός.

*Jusjurandum autem fuge, etiamsi justè jures.*

Per caput autem jurandi perverla consuetudo non fuit Iudæorum tantum, sed & gentiū. Hinc illud apud Poetam:

*Per caput hoc juro, per quod pater antè solebat.*

Jurasse etiam veteres per genium vel salutem principis & corporaliter tactis Evangeliiis ut olim tactis aris ex constitutiōibus imper. patet. Infinita verò Christianis plerisque in ore est petulantis vel potius furiosi juramenti blasphemia, quæ vel pagano judice detestabilis & execrabilis fuerit.

*Quia Jehova*] Sicut antea cultoribus falsorū Deorum graves minæ propositæ sunt, ita & hic proponuntur tanquam desertoribus sui Dei. Jurare enim per alium Deum aut per aliud quidlibet, est id ipsum in vindictam blasphemix appellare, si temerè juretur: tumque Dei honor

attribuitur ei, per quod juratur. Itaque Deus illis blasphemis & convitiatoribus vehementer irascitur. Ieremiæ 5. Filii tui dereliquerunt me, & jurât in iis, qui non sunt Dii. Item, Disperdam eos qui jurant per nomen Domini, & jurant per Melchon. Itaque 24. Levit. 10. Blasphemia ista capitalis fuit spurio Ægyptio qui nomen Iehovæ in maledicto assumpsisset: conjectus enim est in vincula, de quæ eo jehova ipse sic Mosis præcepit. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt manus suas super caput eius, & lapidet eum universus cœtus: Ad filios autem Israelis loquaris dicendo. Quicumque maledixerit Deo suo, portabit iniquitatem suam, & qui expresserit nomen Iehovæ moriendo morietur, lapidando lapidabit eum universus cœtus tam peregrinus quàm indigena, cum expresserit nomen moriatur. Tale narrat Aben Ezra de Ægyptiis, apud quos si quis per regis nomen temerè jurasset, capite plecteretur, quia regem contempsisset. Iuramentum autem illud Herodis 14. Matth. 7. se daturum quidquid peteretur, imprimis vanum est, sed tum quoque sceleratum cum scelus petitur: ut illic caput Ioan. Ideo quæ vanum sit ita jurare, sed sceleratum præstare quod illo indefinito iuramento iuraveris. Quæri autem hic solet, utrum jusjurandû dolo vel vi expressum servandum sit. Gabaonitæ (ut est 9. Iosua 3.) e mentiti é longinquis regionibus legationem Hebræos fefellerunt, & ab iis fœdus interposito jurejurando impetrarunt, cognita quæ

rog  
qu  
fi, a  
no  
tion  
Sau  
affl  
trie  
à D  
Tan  
test  
dic  
ita j  
opo  
feca  
jura  
tent  
que  
que  
ter c  
ravi  
tas &  
men  
host  
rand  
non  
vare  
bun  
mor  
lii fil  
risju

cognitaque fraude Hebraei quamvis decepti,  
 quamvis etiam generali mandato occidere jus-  
 si, attamen propter interpositum jusjurandum  
 non occiderunt, tantum in lignatione & aqua-  
 tione Gabaonitis usi sunt: Quin postea cum  
 Saul Rex contra majorum fœdus Gabaonitas  
 afflisset, violationem fœderis Deus ultus est  
 triennii fame per Israellem, & septem Saulis filiis  
 à Davide deditis, per Gabaonitas cruci suffixis.  
 Tantam jurisjurandi religionem sacra historia  
 testificatur. At Tullius in officiis etiam conten-  
 dit perjurium quandoque licitum esse. Quod  
 ita juratum est (ait) ut mens conciperet fieri  
 oportere, id servandum est, quod aliter, id si non  
 feceris, nullum perjurium est. Non enim falsum  
 jurare, pejerare est, sed quod ex animi tui sen-  
 tentia juraris, id non facere perjurium est. Ita-  
 que illud apud Accium: Fregistine fidem? ne-  
 que dedi, neque do infideli cuiquam, luculen-  
 ter dictum putat. Item scitè Euripidis illud: Iu-  
 ravi lingua, mentem injuratam gero: Sic pira-  
 tas & prædones non injustis vel perjuriis vel  
 mendaciis falli arbitratur, quia communes sunt  
 hostes cum quibus nec fides debeat nec jusju-  
 randum esse commune. At Tullius idem laudat  
 non dico Regulum, qui ut hostibus fidem ser-  
 varet, ad supplicium rediit, sed Pomponium tri-  
 bunum Manlii accusatorem, qui cum terrore  
 mortis coactus jusjurandum dedisset Tito Man-  
 lii filio se patris accusationem dimissurum, ju-  
 risjurandi religione motus à causa destiterit.

Tantum (ait) temporibus illis jusjurandum valebat. At inquam, Titi tanquam latronis vis illa fuit, & Pomponius injuratam mentem prætere-  
 xere ad Euripidis legem potuit, nec fidei tuæ conscientia tibi metienda est ex hominum fidelium vel infidelium circumstantia, sed é religionis tuæ constantia, sed é Dei in testimonii veritatem appellati præsentia ac reverentia: Non promittere, non jurare potestatis tuæ fuit. Quæ vis enim forti viro (ut Tullius ipse ait) afferri potest? At Christianis quanto minus etiam captiuncula ista convenerit? Divina lex non lingua tantum, sed mente pejerare prohibet. Et Christus ait: Qui me coram hominibus negaverit, negabo illum coram cœlesti patre. Poterant igitur Apostoli sanctique martyres paganis communibus nempe Christiani nominis hostibus & infidelibus lingua quidlibet jurare, iniuratam Deo mentem servare. At Deus non mentis tantum, sed linguæ non animæ tantum, sed corporis, sed totius hominis Deus est. Quare videndū Tullio fuerit, ne secus (quam existimet) his Poeticis & sophisticis argutiis, latebra perjurio quaratur: videndum item & Romanis pontificibus Romanum Oratorem sequutis: nam cū infidelibus non servandam fidem persuaserunt, perfidiosum atque impium paganismum, ac nescio an satis paganis ipsis probatum persuaserunt. Vladislavus Pannoniæ rex pacem cum Amuratho Turcarum imperatore solenni jurejurando interposito fecerat. Eugenius Papa per Julia-

lan  
 fior  
 van  
 liur  
 cū  
 gnis  
 tur  
 tuar  
 jura  
 aliq  
 rata  
 tru  
 stro  
 plis  
 trig  
 dia  
 cis i  
 piat  
 cru  
 lum  
 ges  
 tia  
 rian  
 tia  
 reli  
 Cap  
 R  
 cies  
 bat

Ianum Cardinalem cum bene gerendæ rei occasionem oblatam jactaret, fidem infidelibus servandam non esse Christiano regi persuadet, præliumque acerrimum accendit, in quo Amurath<sup>9</sup> cum de fuga cogitaret, conspecta in hostilibus signis Christi imagine, impius Sarracenus ita fertur exclamasse: Crucifixe, crucifixe, vide gētem tuam perfidam, quæ a me non laceffita cōtra iurandum jus omne ac fidem violavit: si Deus es aliquis, fac ut perjurii pœnam luat. Itaque instaurata pugna miserabilis illa clades ad Varnam obtruncato Vladislao, item Iuliano perfidiæ ministro morte non solum misera, sed a Christianis ipsis probrosè execrata consumpto, cæsis denique triginta Christianorum millibus sceleratæ perfidiæ funestissimum exemplum Romani pontificis impietati consecravit. Gabaonitis igitur in expiationem perjurii liberos Sauli hic iterum in crucem deditos recordemur: neque ultorem illum perjurii Deum aut mortuum, aut sanctas leges suas oblitum arbitremur. Quamobrem tertiæ legis summa hæc est: In iurejurando dabis gloriam Deo tuo, & tanquam præsentem conscientia atque affirmationis tuæ iudicem vindicæque religiosè appellabis.

*Cap. 6. De lege 4. ad sanctificandum Sabbathum.*

**R**E C O R D A R E diem Sabbathi, ut sanctifices eum: Sex quidem diebus operaberis, & facies omne opus tuum: dies autem septimus erit Sabbathum Jehova Deo tuo: nec facies opus ullum, tu

aut filius tuus, aut filia tua, servus tuus, aut ancilla tua, aut jumentum, aut peregrinus tuus qui est in tuis portis. Nam sex diebus fecit Jehova cælum & terrā, mare & universa quæ sunt in eis, requievitq; die septimo, propterea benedixit Jehova diei Sabbathi & sanctificavit eum.] Quarta lex affirmatur ut prima, & ad divinum cultum sacris meditationibus & festis excolendum Sabbathum sanctificat. Dies autem festi Hebræis quinque fuerunt quotannis, paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, tubarum, expiationum, 23. Levitic. per totum: sed fuerunt tres præcipui: paschatis, pentecostes, tabernaculorum, quibus Hebræi mares omnes intererant, ut patet 23. Exod. 14. Sed ordinarium fuit Sabbathum septimo quoque die in quo cæremonia non simplex fuit: Primo in sacrificiis Sabbathinis certo mensis die, quæ utraque cæremonia sublata est sacrificiis sublatis vel potius uno Christi sacrificio expletis mutatoque Sabbatho in diem solis, ut a quibusdam appellatur, vel in diem dominicum, ut nominatur, 1. Apoc. 10. quò nempe die dominus Iesus a mortuis excitatus veterum cæremoniarum umbras præsentī luce sustulit. Secundo cæremonia videtur quædam fuisse in numero septenario, qui philosophis nonnullis perfectus visus est, ut septimo quoque anno Hebræis servus libertas restitueretur, 21. Exod. Si emeris servum Hebræum sex annis serviet, at septimo egredietur liber gratis. Quod repetitur Deuter. 15. 12. Hoc sabbathum libertatis fuit: eodem quoque

que annorum septenario terræ sabbathū quod-  
dam fuit, de quo 25. Levit. 3. Sex annis semina-  
bis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tu-  
am, colligesque fructus ejus, anno autem septi-  
mo sabbathum requietis erit terræ, sabbathum  
Iehovæ. Agrum tuum non seres & vineam tuam  
non putabis, quæ sua sponte nascuntur in messe  
tua non metes, & uvas separationis tuæ non vin-  
demiabis: annus requietis erit terræ. Erit autem  
Sabbathum terræ vobis in cibum tibi & servo  
tuo & ancillæ tuæ & mercenario tuo, & adve-  
næ tuo, qui habitant apud te, & animali tuo, &  
bestiæ quæ fuerit in terra tua, erit (inquam) om-  
nis fructus ejus in cibum. Tertium deinde Sab-  
bathum fuit jubilæum, de quo sic 25. Levit. 8.  
Numerabis autem tibi septem sabbatha anno-  
rum, id est annos septies septenos, qui quidem  
dies septem sabbathorum annorum, efficiunt  
tibi quadraginta novem annos: tunc transire fa-  
cies tubam jubilationis mense septimo, deci-  
mo mensis, id est die expiationum: transire (in-  
quam) facietis tubam per universam terram ve-  
stram. Sanctificabiturque annus quinquagesi-  
mus, & proclamabitur libertatem in terra cun-  
ctis habitatoribus ejus. Iobel ipse erit vobis, &  
revertemini quisque ad possessionem suam, &  
quisque ad fami iam suam revertemini: Iobel  
ipse annus quinquaginta annorum erit vobis:  
Non seretis neque metetis quæ sponte produ-  
xerit terra, neque vindemiabitis separationes  
ejus, quia Iobel est, sanctus erit vobis: agrico-

medetis fructum : Anno Iobelisto revertemini singuli ad possessionem suam . Hæc igitur Sabbathina septenarii cæremonia ad libertatem servorum , ad agrorum vacationem , ad restitutionem possessionum tota sublata est: alia libertas messis , alia denique hæreditas nobis in cælo proposita est: Hoc nempe Sabbathum erit perpetuum, quod Christianis Esaias vaticinatur 66 cap. Nam sicut cæli novi & terra nova quæ ego facio , sunt coram me dixit Iehova , sic stabit semen vestrum & nomen vestrum , & erit ut de mense in mensem & de sabbatho in sabbathum veniat omnis caro, ut incurvet se coram me dixit Iehova . Quapropter ad illud æternum sabbathum spectantibus hebdomadarii sabbathi sanctitas & ad eum quotidiani operis cessatio retenta est, Sabbathum siquidem scholasticus quidam dies est, quo nobis est ad domini scholam accedendum ad legem ejus & voluntatem cognoscendum: His enim diebus lex tota cum prophetarum interpretationibus populo quotannis declarabatur, ut plenius in ecclesiastica disciplina dicemus. Itaque cum sabbathum tantopere in veteri testamento commendatur, schola domini præcipue commendatur: Academia non Platonis vel Aristotelis, sed omnipotentis Dei commendatur. Cognitio legis & intelligentia divini cum homine fœderis commendatur: de quo sic 31. Exod. 13. Veruntamen sabbatha mea custodietis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quod sum Iehova,

hova sanctificans vos . Custodietis igitur sabbathum quia sanctitas est vobis: quisquis profaverit illud , moriendo morietur: quia omnis faciens in eo opus, excindetur anima ipsa é medio populorum suorum. Sex diebus fiet opus, at die septimo sabbathum cessationis est , sanctitas Iehovæ: quicumque fecerit opus diei sabbathi moriendo morietur. Observabunt itaque filii Israelis sabbathum , observando ipsum in generationibus suis: pactum est perpetuum inter me & filios Israelis, signum est in perpetuum, quia sex diebus fecit Iehova cælum & terram , die autem septimo cessavit & requievit. Hæc igitur sabbathi commendatio est ab ipso domino, qualis est Esaiæ 58 . Si averteris á sabbatho pedem tuum, non facias voluntatem in die sancto meo : vocaberis sabbathum delicatum & sanctum domini gloriosum & glorificabis eum, dum non facis vias tuas & non invenitur voluntas tua . Itaque Christianus animus isto mandato á quæstuosis & fructuosis corporis operationibus & sudoribus ad scholam divinæ legis, ad academiam philosophiæ sublimioris, ad sanctiores animi cogitationes & meditationes exercendum revocatur: ideoque cùm statum religionis funditus eversum Deus apud prophetas indignatur, violata & polluta sabbatha conqueritur.

*Sabbathum Iehova.* ] Sabbathum autem Iehovæ nominatim appellatur: nec enim sabbathum vel Adamo , vel Noeo , vel Abrahamo , vel Isaaco , vel Iosepho , vel Mosi , vel Helix , vel Davidi ,

consecratum est, ut superstitiosi quidam Christi  
ani mortuis hominibus sabbatha & festorum di  
erum otia tribuerunt: Nam si Christianis sabb  
tha consecranda essent, Hebræis etiam pari ju  
re consecranda fuerant: nec rerum gestarum me  
morabiles illis memoriæ defuerunt, quæ sabb  
this propriis celebrarentur.

*Operaberis.* ] Operosa homini atque actiuosa  
vita præscribitur, sicuti jam ab initio præscripta  
est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et sic  
Paulus ne gravis esset ecclesiæ, sancta gloriatio  
ne gloriatur opere faciendo victum sibi cultum  
que comparatum. Itaque otiosorum atque iner  
tium hominum ut canonicorum, monachorum  
& monacharum vita vehementer improbanda  
est, cum Deus nominatim præcipiat, Sex diebus  
operaberis, nemini autem præcipiat, Totam vi  
tam otiaberis: neque ideo otiosa ejusmodi vita  
ex fide est, proptereaque peccatum, ut tam fre  
quenter é Paulo repetitur.

*Nec facies.* ] Hic etiam cæremonia quædam  
fuit, ut ab omni prorsus opere cessaretur, & in  
sabbatho septem annorum, ut est 23. Exod. 10.  
& in sabbatho iubilæo, ut prædictum est: Quin  
ne coquere quidquam liceret 16. Exod. 23. Cef  
satiuncula cessatio (inquam) sancta Iehovæ erit  
cras, quod cocturi eratis, coquite, & quod eli  
xaturi eratis, elixate hodie: quidquid verò su  
per fuerit, reservate in custodiam usque mane.  
Sed gravissimum illud de quo 35. Exod. 2. 3.  
Sex diebus facies opus, at die septimo sit vobis  
sancti.

sancti  
que f  
igner  
thi. I.  
jussu  
deser  
servis  
tis, id  
pore.  
hæc c  
Pom  
rima  
viola  
Q  
N  
Et tar  
Phar  
stus h  
risqu  
Phar  
lpica  
det a  
nes p  
conc  
27. S  
ait, n  
dem  
risæ  
bath  
habe  
in fo

sanctitas, sabbathum cessationis Iehovæ, quicumque fecerit in eo opus, morietur, non accendetis ignem in omnibus habitaculis vestris die sabbathi. Itaque 15. Numerorum 32. Lapidatur Dei iussu, qui sabbatho ligna tantum collegerat in deserto. Sic igitur mancipiis vel jumentis, vel servis requies eo die summa tribuitur, & in portis, id est, in oppidis cessatio est absque ullo corpore operationis cujusquam labore. Ideoque hæc caeremonia Hebræis tam religiosa fuit, ut à Pompejo sabbathi die Hierosolymam expugnari maluerint, quam propugnatione sabbathum violare. Hinc illud.

*Quidam sortiti metuentem sabbatha patrem, Iuven.*

*Nil præter nubes & coeli numen adorant. (Sa. 14.)*

Et tamen superstitio potius fuit ex ignorantia: in Pharisæis autem etiam hypocrisis. Itaque Christus hanc vel superstitionem vel hypocrisim plerisque locis coarguit: ut 12. Matthæi 1. 2. Cum Pharisæis discipulos qui esurientes in sabbatho spicas vellent & ederent, accusantibus responderet à Davide per consimilem necessitatem panes propositionis, quamvis solis sacerdotibus concessos, attamen comestos esse. Item Marci 2, 27. Sabbathum propter hominem factum esse ait, non hominem propter sabbathum. Sed idem rursus Luc. 3. 4. respondet consimili Phariseorum offensionem: quod aridam manum sabbathi die sanavisset. Quis erit ex vobis ait, qui habeat ovem unam, & si ea inciderit sabbatho in foveam, non apprehendat eam & erigat? Tam

tus igitur rigor hujus caremonia sic à Christo sublatus est. Politicus tamen usus est retentus, ut religioni ac pietati plenius & liberius vacaretur.

*Nam sex diebus,*] Argumentum instituti sabbathi hinc præcipuum est ad gloriam nempe Dei memoriamque ab eo conditi mundi celebrandum. Sabbathina igitur schola meditationes istas habebit. Homo factus est ad imaginem Dei. Itaque Deus ad exemplum suum hominem revocat: Perfecit autem Deus (ut est 2. Genesis 2.) die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo ab omni opere suo, quod fecerat, & benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum, quia in illo facere cessavisset ab omni opere suo quod creaverat. Sic igitur nunc homo ad summi opificis imitationem, cum sex dies rem familiarem domi tractaverit atque exercuerit, septimo veniet in domum domini, & in scholam summi doctoris, in Academiam non philosophi sed omnium philosophorum sapientissimi parentis, ut rem sacram & divinam tractet atque exercent, & ab humanis corporeisque laboribus ad cœleste animi otium studiumque convertatur, in publicum ecclesiæ conventum conveniendo, verbi divini interpretationem à prophetis & apostolis audiendo, Dei patris omnipotentiam, mundi creationem & reliqua fidei capita meditando, totam Deo debitam obedientiam cogitando, & Deum communibus privatisque precibus propitiando, palamque si-

dei

dei pignoribus & sacramentis profitendo: conferendo item collectas in subventionem & allevationem pauperum, ægrotantium, victorum & quovis modo egentium, non autem Deo aurea vel argentea vel alia quævis pretiosa munera offerendo. Hæc enim superstitio vel paganismi ridicula fuit.

*O curva in terras anima & cælestium inanes,  
 Quid juvatos templis nostros immittere mores?  
 Dicite pōiſifices in ſacro qđ facit aurū? (Per. 2. ſa.  
 Quindam? hoc ſuperis de magna quod dare læce  
 Non poſſit magni Meſſala lippa propago,  
 Compoſitum juſ ſāsq; animi, ſanctōſq; reſſus  
 Mentis & incoctū generoſo pectus honeſto?*

*Hoc cedō ut admoneam templis & farre litabo.*

Hoc igitur fas animi, hos sanctos mētis recessus, hoc sacris meditationibus incoctum pectus, sabbathi sanctificatio, divinæque Academiæ exercitatio requirit: secus qui sabbathum luxu, gula, cōmessatione, helluatione, libidine, inertia trāſiget, non in scholam divinæ legis sed in popinam profani abdominis veniet, deumque deridebit, ab eoque conditum sex diebus mundum negabit: tantique opificii gloriam opifici sacrilega impietate detrahet: politiam etiam ecclesiasticę disciplinæ totam (quæ in istum diem præcipuè comparata & collata est) confundet. Quamobrem hæc quatuor leges sunt primæ tabulæ purum syncerumque Dei cultum puramque hominis erga Deum pietatem complexæ. Jehova est Deus tuus, Jehova (inquam) qui populum Is-

raeliticum ab Ægyptia servitute liberavit, et  
 que soli (sublatis omnibus simulachris) inservi-  
 es: solum divini numinis nomen, & quidem san-  
 cta & mente & lingua, appellabis: denique se-  
 ptimo quoque die scholam domini frequenta-  
 bis, & apud eam tota mente, tota cogitatione,  
 tota anima, totis denique viribus sapiētiam Dei  
 & beneficentiam recognosces & admirabere,  
 ab eaque bona omnia sperabis, fidemque illam  
 apostolicam animo penitus insitam atque im-  
 pressam sua cultura domino exercebis, & matu-  
 ros exulta fructus consecrabis. His muneribus  
 placari, his sacrificiis propitiari, hoc cultu coli,  
 hac adoratione adorari Deus cupit, atque hinc pri-  
 marii sunt colores ad illam primi hominis Deo  
 similis imaginem renovandum. Et quidem hinc  
 divinitatis cultum homines naturali quadam lu-  
 ce cognoverunt, & parte quadam attigerunt.  
 Sic Ammon in Alcibiade Platonis respondit La-  
 conum *εὐφημίας* diis gratiorem esse sacrificiis A-  
 theniensium. Et Romanis duodecim tabularum pri-  
 mam omnium legem sancivere: Ad divos adeun-  
 to castē, pietatem adhibento, opes amovento:  
 qui secus faxit, Deus ipse vindex esto. Huc igi-  
 tur artes hominum liberales & disciplinæ, tota-  
 que literarum & divinarum & humanarum sci-  
 entia prudentiaque referatur, quō etiam a paga-  
 nis refertur qui liberalium artium inventores  
 deos crediderunt. Et Plato philosophiam do-  
 num deorum ait esse: scientia (inquam) omnis  
 huc referatur, ut per eam Deus authorque bo-  
 norum

notum omnium agnoscatur colaturque: Illa est  
 platonica 7. de repub. *μετασποχή* couersio homi-  
 nis ad contemplandum ac venerandum Deum:  
 Impiis etiam atque atheis ut Aristoteli, & Epicu-  
 ro sua pariter contemplatio est, sed humanæ vi-  
 tæ finibus conclusa: At impiis (sicut antea dictū  
 est) licet mori cupientibus, mori tamen non li-  
 cebit. Immortalis igitur & æterni boni contem-  
 platio proposita esse debuit, & quidem contem-  
 platio quæ humanarum actionum omnium a-  
 ctio prima esset & excellentissima. Sic .n. (quod  
 Aristoteles, licet de religione tam securus, in po-  
 liticis ait) mundi administratio actio Dei est lon-  
 gé divinissima.

*Cap. 7. De Legē 5. ad parentes honorandam.*

**H**ONORA patrem tuum & matrem tuam, ut  
 prolongent dies tuos super terram, quam Jeho-  
 va Deus tuus dat tibi. ] Sequitur altera tabula,  
 quæ aliam vitam atque alios mores instituit. Pri-  
 ma enim tabula divinæ contemplationis divi-  
 næque gloriæ magis est, deoque ab homine de-  
 bitam pietatem nobis ante oculos proposuit.  
 Secunda tabula ad humanæ vitæ societatem tu-  
 endum refertur: ideoque morales actiones de  
 temperantia deque fortitudine ac justitia præ-  
 scribit. Peccatum avertit hominem primum a  
 Deo, deinde ab homine. Ergo prima tabula ho-  
 minem Deo, secunda homini reconciliat. Tabu-  
 la prima est divinæ cujusdam vitæ, secunda hu-

manæ, ideoque ab omnibus populis magis ex-  
 culta & legibus promulgata: proptereaque etiã  
 à nobis crebrioribus hominum exemplis & te-  
 stimoniis frequentata: Sic tamen humanitati se-  
 cūda tabula dicata est, ut humanis officiis etiam  
 pietas erga Deum coleretur. Mandata secundæ  
 tabulæ sunt sex, ut Aben Esra, Origenes, Atha-  
 nasius, Nazianzenus, Chrysoſtomus, Hierony-  
 mus & Ambrosi⁹ antea appellati, authores sunt.  
 Quinetiam negat Origenes neque numerum  
 mandatorum, neque veritatem decalogi consta-  
 re posse, si ex duobus primis mandatis fiat unum  
 & decimum in duo dividatur. Primæ itaque ta-  
 bulæ quatuor mandatis cultus pietatis in cœle-  
 stem patrem præscriptus est. Secundæ tabulæ  
 sex mandatis hominum inter se charitas exponi-  
 tur: Sex autem mandatorum primum duntaxat  
 affirmatur, cūm primæ tabulæ primum & quar-  
 tum affirmata sint. Primo igitur secundæ tabulæ  
 mandato præscribitur pietas erga terrenos paren-  
 tes, qui sunt ortus nostri nostræque vitæ tanquã  
 dii: imò ut rectè Menander

*Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονῶσιν οἱ γονεῖς.*

Dii maximi sapientibus sunt parentes. Itaque ut  
 ait idem poeta

*Βύλη γονεῖς παρὲν παντὸς ἐν πᾶσι ἔχειν*

*Velis parentes præ quo vis in honore habere.*

Honoris autem nomine etiam reverentia, obe-  
 dientia, beneficentia comprehenditur. Levitic.  
 19. 3. Quisque matrem suam & patrem suum  
 timeatis. Coloss. 3. 20. filii obedite parentibus  
 per

per omnia: hoc enim est gratū domino. Et Christus 15. Matth. 1. Item 7. Mar. 11. 12. ostendit equinto mandato esse ut liberi parentibus benefaciant. Beneficentiæ veró erga parētes & propinquos Iosephus exemplum singulare est, qui non solum patrem sed fratres (a quibus acerbé & immaniter tractatus venditusque esset) totásque eorum familias gravissima fame laborantes in Ægyptum transtulit, & liberaliter aluit. Nec exemplis beneficentiæ hujus cōmunis hominum vita unquam caruit, quæ cū plurima á Valerio collecta sint, tum illud est imprimis notabile, matrem capitali supplicio damnatam motique in vinculis iussam, filiæ quavis severius excussæ, ne quid alimenti inferret, uberibus lactatam & sustentatā esse, eamque pietatem cū animadversa tandem esset, iudicib. tam admirabilem accidisse, ut etiā matri veniā impetraret. Putaret aliquis (ait hic Valerius) hoc contra rerū naturam factum, nisi diligere parentes prima natura lex esset. Norunt igitur & ethnici primum secundæ tubulæ mandatum, meritoque tanquam Mosaicam legislatiōem sequuti primā naturæ legem appellant. Sedenim lex ad senectutē hominis honorādum generaliter á Deo ipso refertur tanquam & senes juvenum parentes sint. 19. Levit. 32. Ante canitiem assurge, & honora faciem senis, metuásque Deum tuum, ego Iehova. Itaque & ætatis aureæ homines ut poeta ille ait

*Credebant hoc grande nefas & morte piandum  
Si juvenis vetulo non assurrexerit.*

Atqui lex ista observandæ & honorandæ fere-  
 ctutis à Spartanis, si usquam gentium, moribus  
 magis quam decretis exulta, apud quos ut ado-  
 lescentes senibus filiorum amore habiti, sic se-  
 nes adolescentibus patrum honore culti sunt. I-  
 taque Lysandrum Lacedæmonium dicere soliti-  
 tum ajunt, Lacedæmone esse honestissimum do-  
 micilium senectutis, ut Tullius ait in Catone. Pa-  
 rentum verò nomine etiam magistri tum politi-  
 ci, tum scholastici, tum ecclesiastici in lege intel-  
 liguntur. Iudicibus non maledices, neque prin-  
 cipi in populo tuo maledices, 2 2. Exodi 2 8. Om-  
 nis anima potestatibus superioribus subiecta es-  
 to, non solum propter iram, sed etiam propter  
 conscientiam 1 3. Romanor. 1. 5. Qui bene præ-  
 sunt teniores iidemque doctores honore dupli-  
 ci digni sunt, 1. Timoth. 5. 17. Itaque jubet etiam  
 Paulus ecclesiasticis rectoribus, doctoribus ne-  
 pe, pastoribus, diaconis obtemperandum, quia  
 vigilant pro animis nostris, proque iis rationem  
 sunt reddituri Hebræor. 1 3. 7. Magistratus igitur  
 tanquam publici parentes honorandi, recte  
 que Menander

Εἰκὼν δὲ βασιλεὺς ὁ θεὸς ἐμψυχὸς θεὸς

*Imago autem rex est, animata Dei.*

Liberalium quoque doctrinarum magistros æ-  
 thnici animorum parentes appellant: sic studio-  
 si grammaticæ, rhetoricæ, philosophiæ, mathe-  
 maticæ, præstantes grammaticos, rhetoras, phi-  
 losophos, mathematicos tanquam parentes ve-  
 nerantur: quinetiam amor iste atque honor ad  
 operum

operum egregiorum opifices pervenit, qui etiã aliquando divinitus excitantur, ut 31. Exodi 1. Bebeleel & Oliabus quorum etiam memoriam æternitati sacræ literæ consecrarunt. Quapropter in lege comprehendens patrem, matrem propinquosque uno nomine omnes, nutritios, nutritices, tutores, magistratus, & magistros cujusq; honestæ disciplinæ, omnesque omnino qui parentum loco nobis sunt ad animum vel corpus honestis & utilibus studiis informandum. Sed lege Christi ut 12. Matth. 47. præpones domesticos fidei cuius propinquitati: Nam cum Christo dixisset quidam, ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui, ipse respondit quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei: & extendens manum in discipulos suos ait, Ecce mater mea & fratres mei: Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.

*Prolongent.*] Veri Dei cultoribus a Deo ipso præmium lex primæ tabulæ secunda proposuit in millesimam ætatem, quinta lex erga parentes morigeris liberis longiorem vitam statuit, tanquam istam remunerationis facultatem Deus parentibus attribuat: quod mox è vitæ contraria imminutione apertius intelligetur. Homini verò vita initio mundi multorum sæculorum fuit. Adamus enim vixit 930. annos: tandem corrupto genere humano dedit Deus respiciendi tempus homini ante diluviũ annos 120.

ut est 6. Gen. 3. At Psal. 90. vita hominis definitur anno septuagenario, ut si quibus vegetior aut vivacior natura sit, octogenario : deincepsque tantum labor & molestia reliqua sit.

*Super terram.*] De prolongatione vitæ in hac terra sic loquitur Iehova 11. Deuter. 9. Sed tanquam in remunerationem legis universæ. Atque ut prolongetis dies super terram quam iuravit Iehova patribus vestris se daturum illis & semini eorum, terram fluentem lacte & melle. Terra enim quam tu ingrederis ut possideas eam non est sicut terra Ægypti ex qua egressi estis, in qua seminabas semen tuum, & irrigabas pede tuo, ut hortum oleris. At terra, ad quam vos transitis ut possideatis eam, terra montium & vallium est, de pluvia cæli bibes aquam. Est terra quam Iehova Deus tuus curat, semper sunt oculi Iehovæ Dei tui in ea à principio anni usque ad extremum anni. Erit itaque si obediendo obediveritis præceptis meis quæ ego præcipio vobis hodie, ita ut diligatis Iehovam Deum vestrum & colatis eum toto corde vestro & tota anima vestra, dabo pluviam terræ vestræ in tempore suo, temporaneam & serotinam, & ita colliges frumentum tuum, & vinum tuum, ac oleum tuum. Et dabo herbam in agro tuo pro jumentis tuis, comedésque ac saturaberis. Hæc Moses de Iudææ fertilitate, cui etiam uni terræ præstantissimum omnium odorum balsamum conceditur, ait Plinius libr. 12. capite 25. Hoc igitur legis observatæ præmium est & vita longio-

longiore in terra fertilissima: at nobis per Christum vita longé diuturnior & in hæreditate longé uberiore promittitur, ut jam dictum est in sabbatho. Sic igitur pietas erga parentes commendatur, eaque pietate modestia & ingenua animi liberalitas arrogantia & fastui contraria comprehenditur: Charitas enim (quod est mandati hujus) non insolescit, non inflatur, non indecoré fastidit, 1. Corinth. 13. 4. 5. Contra veró parentum contemptoribus aut majorum fastidiosis, pœna contraria est, vitaque aut humano supplicio aut divino quodam & occultiore iudicio imminuitur. Sic enim est Deuteronom. 27. 16. Maledictus qui vilipendit patrem suum aut matrem suam, & dicet universus populus, Amen. Sed 21. Deuteronom. 18. flagitii hujus animadversio multo est evidentius exposita: Cum quis habuerit filium declinantem & rebellem, non obedientem voci patris sui & voci matris suæ, & correxerint eum, nec paruetit illis, tunc apprehendent eum pater ejus & mater ejus, educentque illum ad seniores urbis suæ & ad portam loci sui, dicentque senioribus urbis illius, filius noster iste declinans & rebellis est, nõ est obediens voci nostræ, epulo & potator est. Tunc lapidabunt eum omnes homines urbis suæ lapidibus, ac morietur: atque ita auferes malum e medio tui, universusque Israel audient & timebunt. Primæ veró pœnæ de contemptu parentis exemplum Chamus præbuit 9. Gen. 21. Nam cum pater Noëus inebriatus proindeque

nudatus esset, Chamus filius pudenda patris irrisit, fratribusque renuntiavit qui oculis averſi operuerunt. Itaque expergefactus Noeus certiorque ea de re factus, Maledictus (dixit) erit Chamus & erit servus servorum fratribus suis: contra benedixit Semo & Iapheto.

SECUNDA tertiæque pœnæ mirabile exemplum fuit in Ablalone Davidis filio, qui cum patrem impia rebellionem persequutus esset, ejusque concubinas incesta libidine ante oculos universi Israelis constuprasset, victus eque prælio fugiens incidit in densam quercum, capilloque tanquam fune religatus ac suspensus muloque (quo vehabatur) destitutus pependit ex ea quercu, tumque Ioabus Legatus Davidici exercitus tribus telis pendentem confixit, perque satellites adhuc spirantem trucidavit: Denique in foveam abjectum immani lapidum cumulo obruit. Hac nempe legitima gæneonis perduellionisque filii mors & lapidatio fuit.

SED in hoc toto parentum contemptu crimen nullum detestabilius est quam in magistratus, id est, communes patriæ parentes sive politici sive ecclesiastici sint. Cora, Dathan, Abiramus in Moſem & Aharonem populari ducentorum & quinquaginta factione deſerere loco tentaverant: hanc seditionem ultus est Deus horrenda clade. Coram, Dathanum

thanum, Abiramum dehiscens terra absor-  
buit, ignisque de cælo ducentos illos quin-  
quaginta consumpsit, prætereaque quatuor-  
decim millia Hebræorum qui propterea mur-  
murassent.

Vt igitur præmium modestis erga pa-  
rentes & officiosis, sic protervis & arrogan-  
tibus supplicium a Deo propositum intelli-  
mus: Tametsi hoc utrumque vitæ vel præ-  
mium longioris vel supplicium brevioris, per-  
petuis exemplis nequaquam definiendum est,  
cum plerique ætate tenera & florente mo-  
desti è vita decedant, & superbi erga paren-  
tes, longævipermaneant. Sed frequentia di-  
vinæ legis & insignia exempla pro perpetuis  
accipies, vel simpliciter præmium legis intel-  
liges de diuturnitate & propagatione sobolis  
& familiæ in eadem natione & regione, ut nec  
orbitas nec exilium multis sæculis accidat: con-  
tra autem pœna contemptoribus parentum sit  
interitus sui generis & extrema sui nominis ex-  
tinctio. Quo pacto & Aristoteles in politicis  
ait tyrannidem in eadem familia nunquam ad  
progeniem quartam pervenisse: tanquam ty-  
rannis ipsa parentis patriæ quædam sit op-  
pressio. Quapropter ut lege modestia &  
obsequium, pudor, humanitas imperatur,  
sic impudentia, fastus, contumacia, *ἀξαι-  
ρία* prohibetur. Atque ut parentes, mia-  
gistri, domini, liberis, discipulis, servs,  
sic liberi, discipuli, servi vicissim parentibus,

magistris, dominis commendantur. Solon lege sanxit, ne liberi patrem alerent, a quo nullam artem essent edocti. Sic pater Helius sacerdos quia nimium liberis indulisset, nec eius legitima disciplina informasset uná cum filiis divina vindicta miseré periit. Denique ut ex Menandro legem concludamus

Ἐλπίζε πρὸν γονεῖς παρὰ ζῆλον καλῶς

*Spera te, si parentes honores, acturum praclaré.*

*Cap. 8. De Lege 6. adversus homicidium.*

**N**ON facies homicidium.] Verbum Hebraeis hic unicum negatam legem facit, tanquam diceret: Non homicidabis, sed unico verbo magnam scelerum multitudinem condemnar. Principio igitur lex ista multis anté sæculis non tantum nata, ut cætera, sed lata est, quam in secundam tabulam incidereetur. Nam cum Deus homini in cibum herbas, arborum fructus, carnes mundorum animalium excepto suffocato dedisset, prohibuit nono Geneseos quarto, ne vel bestia nedum homo hominem necaret, quia imago Dei esset. Et quidem vigesimiprimi Exodi vigesimo octavo. Si bos cornu occiderit hominem quemcunque, lapidatur & abjicitur, unaque dominus lapidatur, si cornu petam fuisse antea denuntiatum sit, aut certé dominus pecunia redimitur: Si occiderit servum, bovis lapidati dominus occisi domino argenti seclos triginta expendit.

pendit. Atque hæc de quadrupede homicida, de homine hominis homicida lex varia & multiplex est, homicidiique nomine etiam violenta pleraque sine morte comprehenduntur, quæ talione vindicantur, de quibus 21. Exodi 24. & 24. Levit. 17. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, livorem pro livore: eum verò qui oculum vel dentem servo corruerit, liberum dimittito, 21. Exodi 26. 27. Item qui vulnus non lethale fecerit, legitimam multam dependito, 21. Exodi 18. Sed de pleno homicidio non una item ratio est, 21. Exodi 20. Qui servum ita percusserit, ut eodem die moriatur, omnino vindicator. Item vigesimi primi Exodi vigesimo secundo. Qui prægnanti abortum fecerit deinde suæstitem, multam pro mariti arbitrio, si mortuum, animam pro anima dependito, 21. Exod. 12. Qui hominem sponte occiderit occisi propinquis vel in asylo sacer esto: si non sponte, in urbem refugii ad interitum sacerdotis permaneto, nec ante nisi pari periculo excedito, mortuo sacerdote reditus domum liber esto, 21. Exodi 12. Item 35. Numerorum 16. Item 19 Deuteronomii 4. 11. 12. 13. Item 27. Deuteronomii 24. Sed homicidii voluntario genere imprimis continentur ii, qui sibi mortem consciscunt, ut in sacris literis Achitophel, Judas qui se suspenderit: in profanis Lucretia, Cato, Trafeas, qui sese ferro necaverunt, quod ab animi fortitudine proficisci vulgo vi-

deatur, at revera mollities est atque imbecillitas, ut Poeta ille melius quàm sapienter plerique senserint.

*Quod magni Traſea consummatiq; Catonis  
Dogmata ſic ſequeris ſalvus ut eſſe velis.*

*Corpore nec nudo ſtriſtos incurris in enſes*

*Quod feciſſe velim te Deciane facis.*

*Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam,  
Hunc volo laudari qui ſine morte poteſt.*

Atqui huiusmodi ſcelus occiſi circumſtantia gravius efficitur, ut propinqui quàm alieni. Itaque Caini fratricidium acerbè vindicatur, 4. Genetiſ 10. Quid feciſti (ait Iehova Caino) audio vocem ſanguinis fratris tui me inclamantis è terra, Nunc maledictus eſto à terra, quæ aperuit os ſuum, ut ſuſciperet ſanguinem fratris tui è manu tua. Quando coles terram, non dabit amplius fructum ſuum tibi, vagaberis & errabis in terra, tumquæ perterritus & desperans Cainus ait Iehovæ: Major eſt improbitas mea quàm ſuſtineam: Ecce eiecisti me hodie à facie tua, & à facie tua abſcondar, vagaborquæ & errabo in terra, ut quicumque invenerit, occidat me. Tum Deus Cainum miſeratus ſuæ tupli pœna occidi vetuit. Atqui homicidium omnium partridium longè eſt longèquæ graviffimum. Itaque 21. Deuteronomio 7. Qui percufferit patrem ſuum aut matrem ſuam, moriendo morietur, & tamen hîc nullum homicidium, ſed puſatio tantum videtur ſignificari, ut partridium in lege præteritum videatur. Idemquæ Athenienſium

theniensium legislatori quod Mofi in mentem  
 venerit : Solon siquidem nullum parricidis sup-  
 plicium constituit, tanquam legem de colendis  
 parentibus tam naturalem iudicaret, ut parrici-  
 dium per naturam futurum non esset. At Roma  
 nisapientius facturi sibi visi sunt, si singulare sup-  
 plicium adversus parricidas excogitarent, ut  
 quos natura ipsa in officio retinere non posset, ii  
 pœnæ magnitudine à maleficio summo verentur.  
 Itaque cum gallo gallinaceo, vipera simiâ-  
 que vivos insui voluerunt in culeum, & in flu-  
 men deijci: Vnde & Poeta ille de parricidio Ne-  
 ronis. In 8. Saty.

*Cujus supplicio non debuit una parari*

*imma, nec serpens unus, nec culeus unus.*

Denique cui non horrorem attulerit apud Poë-  
 tas illi.

*Furia agitat us Orestes?*

Quare parricidium ex omnibus homicidiis est  
 immanissimum. Sed tamen homicidia ipsa ho-  
 micidiis cumulata, sceleris magnitudinem ex-  
 aggerant. Sichennes rapuerat Dinam, eamque  
 sibi uxorem fecerat etiam ex circumcisionis cum  
 Israelitis pacto: Tertio die Simeon & Levus con-  
 tra pactum Sichemitas omnes ferro flammaque  
 funditus everterunt, 34. Gencl. At moriens eo-  
 rum pater Israel tale facinus execratur, 49. Ge-  
 neseos 5. Simeon & Levus fratres arma iniqui-  
 tatis in habitationibus suis, in secretum eorum  
 non eas o anima mea, in cœtu eorum non unia-  
 que gloria mea: quia in furore suo occiderunt

virū, & voluntate sua eradicaverunt murū. Male dictus furor eorū, quia pertinax, & ira eorū quia indurata est: Dividam eos in Iacobo, & dispergā eos in Israēle. Tales humani generis homicidas profanę Historiæ prodiderunt Syllam, qui ultra belli civilis clades in pace ferē 80. millia necavit. Ut Florus lib. 3. cap. 21. Item Cæsarem, qui licet clemens videri voluerit, attamen gloriatus est a se cæsa hominum millia centum nonaginta duo præter civium aliorum ferē tantundem bellis civilibus occisorum, quod recenseri vetuit, ut Plin. lib. 7. cap. 2. Neque verò rectum est (ut alicubi Augustinus conqueritur) hominis vnus homicidium supplicio dignum videri, innumerabilium autem hominum homicidium velut heroica laude prædicari ac celebrari. Verumenimvero sacre literæ imprimis tyrannica patricidia Pharaonis & Herodis detestantur. Pharaon omnes Hebræorum mares cum nascerentur, jubet ab obstetricibus necari: quod cum non fieret, iussit in Nilum abjici. Herodes etiam 2. Matth. 6. biennium nondum ingressos omnes ferro jubet trucidari. Sed hos tyrannos divina vindicta graviter ulciscitur. Sellam & Herodem pedicularis morbus fœdē & turpiter extinxit. Pharaonem mare absorbit, vereque omnino dixit ille:

*Ad generū Cereris sine cade & sanguine pauci  
Descendunt reges & sicca morte tyranni.*

Itaque sexto mandato prohibetur homicidium hominis cuiuscunque. Et sic Christus ad Petrū, cum

tūm pontificis seruo auriculam amputasset.  
 Converte gladium tuum in locum suum: omnes  
 enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.  
 Neque verò prohibetur homicidium tantūm  
 gladii, sed mentis, ut non modo ferro violenta  
 nex nemini adferatur, sed ne cogitetur quidem:  
 secus divinitatis imago (de qua dictum est) hu-  
 manitatisque conjunctio violatur. Itaque odiū,  
 vindicta, malevolentia, iracundia, contumelia,  
 ceterique cordis æstus & furores eodem man-  
 dato coercentur. Nam 1. Ioannis 3. homicida  
 pronuntiatur, qui fratrem in corde suo oderit.  
 Et Christus Matthæi 5. cūm Pharisaicum illud  
 proposuisset, majus etiam comparavit. Qui di-  
 xerit fratri suo Racha, reus erit consilio: aiebant  
 Pharisei: imo verò, ait Christus: Qui ei dixerit  
 fatue, reus erit gehennæ ignis. Contra itaque  
 eodem mandato Christus cum proximo recon-  
 ciliationem cuius sacrificio præponit. Est au-  
 tem in nonnullis natura quædam ferox & con-  
 tentiosa, ut quod de Ismaele dictum est: Manus  
 ejus contra omnes, & manus omnium contra  
 eum, 16. Genes. 11. Totum igitur hoc rixosum  
 genus lege homicidii cujusdam tenetur: quia  
 pietati erga fratrem & charitati contraria est.  
 Sed tamen injuria imprimis Deo illa odiosa est,  
 quæ fit impotentibus & imbecillis, ut peregrini-  
 nis, viduis, pupillis, 22. Exod. 21. Et peregrino  
 non inferes vim, nec opprimes eum, quia pe-  
 regrini fuistis in Ægypto: nullam viduam aut  
 pupillum affligetis: Si affligēdo afflixeritis eum:  
 quia

quia si clamando clamaverit ad me, audiendū  
 audiam clamorem ejus, irasceturque furor meus,  
 & occidam vos gladio, eruntque uxores vestrae  
 viduae, & filii vestri pupilli. Huc etiam pertinet  
 agrestis inhumanitas illa, quae prohibetur. 19.  
 Levit. 14. Coram caeco non pones offendicu-  
 lum, quae etiam maledicitur, 27. Deut. 18. Ma-  
 ledictus qui aberrare facit caecum in via, & dicet  
 universus populus, amen. Comitatus autem con-  
 traria etiam Ethnicis probata & laudata est. Sic  
 enim Tullius ex Ennio 1. off.

*Ut homo qui erranti comiter monstrat viam.*

*Quasi lumen de suo lumine accendat, facit*

*Ut nihilominus ipsi luceat cum illi accenderit.*

Vna enim ex re satis praecipitur, ut quicquid si-  
 ne detrimento possit commodari, id tribuatur  
 cuique vel ignoto. Hac lege discordia damna-  
 tur, quae ut est 12. Matth. Omne regnum, om-  
 nemque familiam affligit ac dissipat. Quapro-  
 pter planum fit homicidii nomine, quamlibet  
 violentiam damnari. Non inferes vim proximo  
 tuo, 19. Levit. 13. Quinetiam mandato isto vel  
 aves & arbores a vi & injuria defenduntur, edi-  
 citurque ne mater in nido ovis aut pullis incu-  
 bans capiatur, sed libera dimittatur. 22. Deut. 6.  
 Et in obsidione urbis jubet Deus parci fructife-  
 ris arboribus, quia fructus earum sit hominum ci-  
 bus: Est enim vita hominis arbor agri, 20. Deut.  
 19. Huic generi affine illud est. Si in cisternam  
 tuam bos vel asinus fratris tui inciderit, damnum  
 praestato, 21. Exod. 33. Quae quamvis ita sint, le  
 gi

gis tamen hujus capite neque legitima bella, neque civiles magistratuum animadversiones tolluntur. Iusta enim bella vel Dei jussu à Iosua & Hebræorum rectoribus gesta sacris libris continentur. Quin militares & bellicæ leges quædam describuntur, ut oppugnanda urbe pax proclametur, deditisque parcatur tributo tantum imposito: At vi capta mares internecione servatis cæteris deleantur, In Chananæa verò propter execrabilem idololatriam nulli neque sexui, neque ætati, neque ulli viventium generi parcatur, 20. Deuteronom. 10. Romana videlicet militia Hebræam sequuta præcepit

*Parcere subjectis & debellare superbos.*

Itaque (ait Paulus 13. ad Romanos) non sine causa magistratus gladium portat. Quare peccatur in hanc legem non solum injustè occidendo, sed etiam cum jus exigit, non occidendo, Saul peccavit non occidendo Amalechum, què occidendum dominus mandaverat, ut contra peccaverat Domini sacerdotes occidendo, 1. Samuel. 15. & 22. Sic Achabus peccavit vitam concedens Benadado regi Syriæ, 3. Reg. 20. & 21. ut peccavit occidendo Nabotho. Iudæi peccaverunt injustè Christum occidendo, sed peccaverunt etiam Barrabam latronem conservando. Fortitudo igitur animi corporisque in periculis legitima de causa vel subeundis vel repellendis divina lege sancitur. Sed ubi injusta injuriæ illatio improbat, ibi quoque justa injuriæ defensio & propulsatio confirmatur, Attamen

charitas hic etiam iure quo vis erit potior. Et sic  
 23. Exod. 5 & 23. Deut. 1. Si videris a sinum amici  
 tui oppressum onere, num desines eum suble-  
 vare? Omnino auxiliaberis una cum eo. Item 19.  
 Levitic. 16. Non ulcisceris te, neque memine-  
 ris injuriæ a popularibus acceptæ, sed diliges pro-  
 ximum tuum sicut te ipsum. Ego Iehova. Sic  
 Christus charitatem amplissimè concionatur,  
 Matth. 5, 38. Audivistis esse dictum (ait) oculo  
 pro oculo, dente pro dente: ego verò dico vo-  
 bis ne malo vel injuriæ resistite: ac si quis te dex-  
 tera gena percusserit, præbe ipsi & alteram, &  
 contra te litigare tunicamque eripere cupienti,  
 chlamydem quoque concedito: quicumque te  
 duo millia passuum abducere voluerit, quatuor  
 eum deducito. Da petenti: neque periculum de-  
 vitato. Audivistis dictum fuisse: Diliges proxi-  
 mum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego  
 verò dico vobis, diligite inimicos vestros, bene-  
 dicite iis, qui deovent vos, benefacite iis qui o-  
 derunt vos, & precamini pro eis, qui vos infe-  
 stant, & persequuntur vos, ut sitis filii patris ve-  
 stri, qui est in cælis: facit enim ut sol ipse ex-  
 orietur super bonos ac malos, & pluat super ju-  
 stos & injustos: Nam si dilexeritis eos qui dili-  
 gunt vos, quam mercedem habebitis? nonne &  
 publicani idem faciunt? Et si complexi fueritis  
 fratres vestros solum, quid amplius facitis? non-  
 ne & publicani ita faciunt? Estote igitur vos per-  
 fecti, ut pater vester, qui est in cælis, perfectus  
 est. Hæc igitur Christi oratio est & exhortatio  
 ad

ad cl  
 ad p  
 tiam  
 mu  
 um e  
 nia fu  
 7. Pe  
 neces  
 stus c  
 præce  
 cutier  
 stus vi  
 22. It  
 prohib  
 tiam,  
 præcip

NO  
 in  
 ptimo  
 ut pro  
 Aben  
 præcip  
 men h  
 damna  
 tate ple  
 damun  
 solum e  
 to. Itaq

ad charitatem homicidio contrariam, ut nempé ad patientiam quám ad vindictam, ad beneficentiam quám ad parsimoniam promptiores simus: Charitas enim (quod ejus mandati proprium est) patiens est, comis est, non irritatur, omnia suffert, omnia sustinet, 1. Corinthior. 13. 5. 7. Periculum tamen ut fortiter ferendum cum necesse est, sic fugiendum ubi caveri potest. Christus capto Baptista secessit, 4. Matthæi 12. & suis præcepit tali tempore pulverem é pedibus excutiendum esse, 10. Matth. 4. Quinetiam Christus virga percutientem se redarguit, Ioann. 28. 22. Itaque affirmatio legis & jussio negationi & prohibitioni contraria fortitudinem, beneficentiam, comitatem unoque nomine charitatem præcipué complectitur.

*Cap. 9. De lege 7. adversus adulterium.*

**N**ON adulteraberis. ] ut sexto mandato cordis indomitæ commotiones frenantur, ita se primo flagitiosæ hepatis libidines temperantur, ut procul absit á corpore quevis intemperantia. Aben Esra hîc commune verbum facit, tâquam præciperetur: Non scortaberis. Adulterium tamen hîc proprié notatur & damnatur, cujus damnatio ex opposita legitimi conjugii sanctitate plenius intelligetur. Etenim cum Deus Adamum creasset: Non est bonum (ait) hominem solum esse, faciamus ei subsidium, quod sit corâ eo. Itaque prima Dei vox simulatque Adamum

Evamque creasset, connubialis benedictio fuit. Crescite (ait) multiplicamini & replete terram, 1. Gen. 28. & 9. Genes. 1. Item cum Adamus ex costa sua Evam creatam animadvertisset, tunc (ait) os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, proptereaque vocabitur vitago, quia ex viro sumpta est ista. Idcirco (ait Iehova) derelinquet unusquisque patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eruntque caro una, 2. Genes. 23. 44. Atque illa cōnubii benedictio Noe & ejus filiis iteratur, 9. Genes. 1. Sic mulier viri subsidium est, viroque subjecta, 3. Genes. 16. Sic Abrahamus Saræ dominus appellatur, 18. Genes. 12. Ad connubialis verò societatis sanctimoniam Deo imprimis placuit piorum cum piis matrimonia fieri. Itaque (ut est 6. Gen. 1.) cum cœpissent homines multiplicari, viderunt filii Dei filias hominum, quod pulchræ essent, & acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerat. Hac re offensus Deus cum filii Dei, id est, pii ducerent filias hominum, id est, impias, cum aquarum diluvio genus hominum perdere statuit. 9. Esdræ talis abominatio vindicatur qua semen Israelis sanctum cum profano alienigenarum sanguine permistum esset, uxoresque ejusmodi cum liberis ejectæ. Itaque antiqui patres évoluntate Dei non incerti prospiciunt. Abrahamus ne Isaacus Chananæam ducat, 24. Genes. 3. Iterumque Isaacus ne Iacobus Chananæam ducat, 43. Genes. 1. Et postea tandem lex facta etiam arctior, ut tribulium inter se cōnubia tantum

tum essent, nec transferretur hæreditas filiorum  
 Israelis de tribu in tribum, 36. Num. 6. 7. Itaque  
 connubium cum peregrina Sephora Mosis pe-  
 ne capitale fuit, cum ea filiolum circumcidi egré-  
 ferret, 4. Exod. 25. 26. cum captiva tamen con-  
 nubium permittitur, sed si capillum raserit, un-  
 gues aluerit, vestem posuerit, parentes integrum  
 mensem luxerit, id est, ea fecerit quæ infano amo-  
 re captum averterent, 21. Deuter. 10. Permitti-  
 tur etiam cum serva, sed ut eam vendere non li-  
 ceat: At si utraque displiceat, libera dimittitur,  
 21. Exod. 7. Verum in eadem tribu non cujus-  
 vis sanguinis permistio lege Mosis concedeba-  
 tur, sed propinquitatis gradus tres erant vetiti,  
 ut 18. Levit. 6. & deinceps. Primo in directa li-  
 nea ut patri cum filia vel nepte, matri cum filio  
 vel nepote, & in reliquis gradibus similiter. Se-  
 cundo patruo cum fratris filia aut nepte: amitæ  
 cum fratris filio vel nepote, & sic deinceps. Ter-  
 tio fratri cum sorore, etiamsi altero tantum pa-  
 rente propinqui sint. Prohibetur etiam sed mo-  
 re non lege vel divina vel Romana connubium  
 cum patruæ vel amitina. Si frater absque filio  
 viduam reliquerit, proximus frater deducito,  
 susceptumque filium fratris nomine appellato.  
 Si viduam ducere noluerit coram senioribus, à  
 vidua discalceator, conspuitorque in faciem his-  
 teris. Sic fiet viro qui non ædificaverit domum  
 fratris sui, & vocabitur nomen ejus in Israele do-  
 mus discalceati 25. Deut. 5. Hæc lex Christo à  
 Saducæis, Matth. 21. 24. proponitur: à Chri-

stianis autem abrogata. A quibus præterea gradus affinitatis prohibentur primò cum vidua filii, vel nepotis, cumque viduo filia vel neptis, & sic deinceps: Secundò cum vxoris filia vel nepte cum mariti filio aut nepote, & sic deinceps. Tertiò cum vidua fraterni filii & nepotis, cum viduo sororinae filia vel neptis. Quartò cum vidua fratris & cum viduo sororis. Cæremonia autem possessionum in eadem tribu perpetuarum sublata est, communio pietatis & sanguinis distinctio est retenta. Eunuchi etiam & spurii connubii jure excluduntur, illi propter impotentiam prolis, hi propter natalium impuritatem, 23. Deuter. 1. 2. Sed spuriorum etiam conditio relicta. Sedenim Polygamia hinc agitatur & videtur Moisaica lege permitti 21. Deuter. 15. de duarum uxoribus filiis dilectæ alterius, alterius exosa: sed præcipue in exemplis Abrahami & Jacobi, Davidis & Salomonis. Attamen dictum vst initio vir & uxor caro una erit, & vir adhærebit uxori suæ: exempla que illa permessa potius quam legitima videantur. Itaque Christus Matth. 19. 5. Et erunt duo in carnem unam. Et Paulus Timot. 3. 2. cum ait. Oportet Episcopum unius uxoris esse virum: perinde loquitur, ac si unius pro sua ac propria dixisset, ut nempe polygamiam damnaret. Sic enim ipsemet loquitur, 1. Corinth. 7. 1. 3. sed propter scortationem quisque uxorem suam habeat, & proprium quæque virum. Matrimonium igitur viri & uxoris unius honorabile in omnibus, thorisque immaculatus appellatur.

latur, Heb. 13. 4. Christus itaque quamvis nullo viri semine, sed spiritus sancti operatione conceptus, attamē per connubii speciem ex virgine nasci voluit, 1. Matth. 1. nuptiasque sua præsentia sanctificavit, primoque miraculo cohonestavit, conjugium sacram cum sua ecclesia conjunctionis tesseram effecit. Ephes. 5. Et Apostoli suas uxores habuerunt Act. 1. 14. Item 1. Corinth. 9. 5. An non habemus potestatem sororem, uxorem circumducendi, ut & reliqui Apostoli & fratres & Cephas? Quapropter cum jam tum Satanas scortationum latebras per cœlibatus speciem machinaretur, Nicenum concilium in Paphnutii sententiam statuit thorum conjugalem esse castitatem. Et canon 13. sextæ universalis synodi adversus Romanum Episcopum ita sanxit. Si quis præsumpserit contra Apostolicos canones aliquos presbyterorum & diaconorum privare contractu & communione legalis uxoris suæ, deponatur. Itaque superstitione non minus veræ pietatis quam humanitatis experte constat perpetuæ virginitatis vota in Christianam Ecclesiam inducta esse. Etenim 1. 4. Rom. 23. quod sæpè jam citatum est. Omnino quod non est ex fide peccatum est: At de talibus perpetuæ virginitatis votis fides nulla, nulla in sacris literis est litera. Itaque Paulus 1. Timoth. 4. 1. Novissimis temporibus impios impostores futuros doctrina dæmoniorum imbutos vaticinatur, qui conjugium prohibeant: ut impia Paulo sit impostura, imò dæmoniorum

doctrina sacerdotibus & ministris ecclesie conjugium prohibere. Et quod Paulus calibatam commendat 1. Corinth. 7. consilium suum ait esse, non præceptum Domini: & quidem consilium non accomodatum omnibus neque locis neque temporibus, sed laboriosis illis, imò ærumnosis & afflictis peregrinationibus, quando mulier viro gravis sarcina fuerit. Constat igitur connubium primum rerum omnium humanarum esse institutum & honoratum. Sed enim conjugali castitati scortatio quævis, sed imprimis adulterium opponitur. Scortatio cum serva desponsata alteri fustuario non morte plectitur, 19. Levit. 20. Lenocinium item prohibetur, ne prostituas filiam tuam ne contaminetur terra & impleatur scelere, 19. Levit. 29. Adulterium verò est cum thorus conjugalis violatur à marito vel uxore. Sic enim Paulus 1. Corinth. 7. 3. Vxori vir debitam benevolentiam reddat, similiter autem & uxor viro, uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir, similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor. Itaque marito tam est adulterium cum soluta, quam esset vxori cum soluto. Adulterii verò deprehensi pœna est, 20. Levit. 10. 22. Deuter. 22. ut adulter adulteraque moriantur, malumque ex Israele tollatur, & Davidis adulterium cum Bersabea gravissimis pœnis vindicatum est. Cui affine etiam illud est, 22. Deutero. 13. Si maritus vxorem quam pro virgine duxisset, non virginem fuisse

severé, accusasset, damnata lapidaretur: sin ef-  
 set per calumniam accusata, calumniator fla-  
 gellaretur, centúmque argenteos uxoris pa-  
 rentibus propter calumniam appenderet. In  
 his etiam pœnis divortium Mosaica lege per-  
 mittitur, 24. Deuteronom. 1. sed ita, ut si repu-  
 diata nupserit alteri viro, á quo deinde vel mor-  
 te vel altero divortio soluta sit, iterum á prio-  
 te viro duci nequeat. At Christus divortium  
 Hebræis propter cervicis duritiam permissum  
 ait esse, nec alia quam adulterii causa permit-  
 tit, 5. Matth. 31. 32. Item 19. Matth. 3. 7. 8.  
 9. Ac si qua repudiata ab alio ducatur, adulte-  
 rium est 19. Matth. 9. Vxori autem tam licet  
 adulterum virum, quam viro adulteram uxo-  
 rem repudiare. Atque hac lege Iosephus Ma-  
 riam cum eam gravidam ante quám convenis-  
 sent, offendisset, dimittere cogitavit: sed de di-  
 vino conceptu deinde admonitus destitit. Di-  
 vortio zelotypia adulterii nempe suspicio fini-  
 tima inquisitionem scrupulosæ caremonia con-  
 tinebat in portione aquæ sanctæ, amaræ male-  
 dictæ, qua femur decideret, uterusque intume-  
 sceret adulteratæ: contra fœcunditas castitati  
 accederet. Atqui caremonia illa sublata est.  
 Sedenim Romanis adulteratæ conjugis pœna  
 videtur in potestate mariti fuisse: ideoque gra-  
 vior interdum, quám lex ipsa permetteret. Sice-  
 nim Satyricus:

--- Exigit autem

*Interdū ille dolor plusquā lex ulla dolori Iuven,  
Concessit, necat hic ferro, secat ille cruentis  
Verberibus, quosdam mæchos & mugilis intrat.*

Verumenimvero ut homicidii specie totum cujusvis injuriæ genus damnatum est: sic adulterii nomine uniuersa cuiusvis scortationis & libidinis intemperantia damnatur. Etenim scortatio quævis etiam primis parentibus videtur graui supplicio mulctata. Sic enim 38. Genes. 24. Thamara vidua cum gravidam esse sine conjugio constaret, exercetur. Educite eam (ait Iudas) & comburatur. Sic filia sacerdotis stupro polluta comburitur, 21. Levit. 9. Damnatur etiam cum uxore mensis patiente coitus, 18. Levit. 19. Et mulieris quæ vel in jurgio pudenda viri arripuerit, manus amputatur, 25. Deut. 11. Item: Si virgo desponsata stupretur in urbe, neque clamet, cum stupratore moriatur: sin stupretur in agro, stuprator solus moriatur: Si virgo non desponsata stupretur a soluto, stuprator ducet, neque repudiabit, patrique puellæ dabit quinquaginta argenteos, 22. Deuter. 23. Quinetiam ad vitandas scortationis occasiones cavetur, 22. Deut, 5. ne mulier ferat arma viri, neque induat vir vestem mulieris. Eademque de causa versicolores vestes, ut ex lana & lino prohibentur, 19. Levit. 19. & 22. Deut. 11. Item ne viro coma rotundetur, neque radatur barba. 19. Levit. 27. Sed hæc leuiores, gravior est lascivia otiosorum sermonum, & magis hinc animadvertenda, & quorum ratio reddenda sit, 12. Matth. 36. Item  
cum

cum pravis consuetudo. Nam ut illo Menandri versiculo per Apostolum 1. Corinth. 15. 33. sanctificatio (ut Tertullianus ait) expressum est.

Φθίρουσιν ἡμῶν καὶ τῶν ὁμοίων κακῶν

*Corrumpunt mores bonos congressus mali.*

Postremo, scortatio cujuscunque modi damnatur in lege, 23. Deut. 17. Non erit meretrix filiabus Israelis, neque erit scortum masculum filiis Israelis. Quinetiam pollutio nocturna damnatur 23. Deut. 10. Sed Paulus sequutus Mosis legem, easdem abominationes plenius persequitur, 1. Corinth. 6. 15. An ignoratis (ait) quod corpora vestra membra sint Christi? sublatis igitur Christi membris membra scorti efficiam? absit. An ignoratis quod qui copulatur scorto unum corpus est. Erunt enim (ait) duo in carnem unam. Qui vero copulatur domino unus spiritus est: fugite igitur scortationem: quodlibet aliud facinus, quod homo conceperit, extra corpus est, at qui scortatur in proprium corpus peccat. An ignoratis quod corpus vestrum templum (habitantis in vobis) sancti spiritus, quem habetis a Deo? & quod non estis vestri juris? Empti enim estis pretio: Glorificate vero Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ Dei sunt. Item. 1. Theff. 4. 3. Nam hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis a scortatione, & sciat quisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in communionem cupiditatis, quemadmodum & populi ignorantes Deum. Quamobrem scortatio cujusque modi sit

divina lege prohibetur. Sed tamen scortationis  
 lutum ratione personarum etiam fœdus atque  
 impurius efficitur. Incestus nefarius est cum iis  
 cum quibus legitimum matrimonium contra-  
 hi non potest. Ablalonis flagitium jam dictum  
 est: Rubeni propter stupratam Bitham nover-  
 cam paterna maledictio est, 49. Gen. 3. qua filiū  
 sic execratur pater, Rubenus primogenitus me-  
 us, tu fortitudo mea & principium roboris mei,  
 excellentia dignitatis & excellentia roboris, le-  
 vitas fuit tibi instar aquæ. Nō excelles, quia ascē-  
 disti cubile patris tui, ex quo polluisti stratum  
 meum. Hic pater Israel supplicium hujus ince-  
 stus permagnum declarat, quod Rubenus pro-  
 pterea jure & sacerdotii & regni, & primogeni-  
 turæ exciderit. Nam sacerdotium ad Levum, re-  
 gnum ad Iudam, primogenitura ad Iosephum  
 translata est. Sed libidines cum masculis & be-  
 stiis (de quibus 18. Levit. 22. 23. Item 27, Deut.  
 25.) maxime contra naturam sunt: Itaque & se-  
 veris pœnis vindicatæ. Magis etiam nefaria fuit  
 amentia Sodomorum, quos (cū angelos Dei  
 ab hospite Lotho ad stuprum flagitarent, Lo-  
 thusque filias virgines ad tantam rabiem compe-  
 scendam frustra ipsis offerret) Iehova primum  
 cecitate repressit, deinde Sodomam ipsam & Go-  
 morham pluvia sulphuris & ignis cum suis civi-  
 bus funditus evertit. Quid plura? abominabiles  
 earum libidinum flammæ in gigantibus & ho-  
 minum monstris aquarum inundatione Deus  
 semel extinxit. Verum enim vero scortatio lege  
 prohi-

prohibetur, prohibentur igitur gula & ebrietas  
 scortationis parentes: sciteque à Comico dictū

*Sine Cerere & Libero friget Venus.*

Hebræi memores ollarum Ægyptiarum non cō  
 tenti cœlesti manna carnes importuné efflagita  
 runt, cūque se coturnicum ingluvie intempe  
 ranti<sup>9</sup> ingurgitassent, carnésque essent inter den  
 tes eorum nondum concisæ, & confectæ, tum  
 furor Iehovæ exarsit in populum, percussitque  
 Iehova populum plaga gravissima, & vocat<sup>9</sup> est  
 locus, sepulchra cupiditatis, quia ibi sepelierunt  
 populum, qui concupierat, 11. Num. 4. 31. &  
 deinceps. Hæc intemperantis gulæ vindicta fu  
 it: Ebrietatis veró pœna non minus testata est.  
 Noeus primus vineam plantavit, inebriatus fru  
 ctu plantationis suæ, pudendisque nudatus, lu  
 dibrio liberis fuit: indèque indignatio & diræ in  
 Chanum primogenitum, & totam ejus Chana  
 neam posteritatem, 9. Genesis 21. Lothi filia pa  
 trem inebriarunt, & inebriatum veluti constu  
 prarunt, ut patris incesto concubitu filia gravi  
 darentur. Atque ebrietatis fere comes est salta  
 tio, qualis illa fuit 14. Matth. 6. quæ iudicio He  
 rodis caput Baptistæ meruit. Saltationis igitur  
 intemperantia quælibet é medio tollenda, ta  
 met si laboriosa corporis & honesta exercitatio  
 reprehendenda nequaquam est, quin otium in  
 ers & ignavum tanquam libidinis fomētum po  
 tius accusandum, rectèque dictum

*Otia si tollas periere cupidinis arcus,*

*Contemptæq; jacent & sine luce faces.*

Maria Mosis soror, unaque hebreæ virgines saltarunt, Saltavit & David ante arcam, taliq̄ue exēplo modestis & sanctis carminibus adhibitis, saltatio inter virgines semotis maribus recreationi juventutis permitti possit. Quare septimo mandato cū infamis intemperantia culpatur, honesta conjugii temperantia commendatur, & é negatione profusæ libidinis moderata socialis thori conjunctio affirmatur. Ne scortator sed unius conjugis, ( si conjugio aptus es ) conjux esto.

*Cap. 10. De Lege 8. adversus  
furtum.*

**N**ON *furaberis.*] Sexta & septima lege fortitudinis & temperantiæ officia comprehensa sunt, leges duæ sequentes proximæ ad justitiã præcipuè referuntur, ut suum cuique tribuas, nec alteri quicquam detrahas. Octavo igitur mandato furtum prohibetur. Non furabimini 19. Levit. 11. Sed furti non una species est. Fur bovis, asini, ovis deprehensus in furto duo viva reddito: si jugulaverit aut vendiderit quintuplū bovis, quadruplum ovis pendito, 22. Exodi 1. 4. Effossor nocturnus necator impunè, diurnus solvito furtum, aut venditor si solvendo non fuerit 22. Exod. 2. 3. Quod Romanæ duodecim tabulæ ferè sunt imitate, quæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum si se telo defenderet, impune necari voluerunt. Hæc proprie furta dicuntur.

tuntur. Si quadrupes pauperiem fecerit, dominus infecti damni reus esto. 22. Exod. 5. Commodatum si absente domino contractum aut mortuum fuerit, restituito, 22. Exod. 14. Depositem non negabitis 19. Levit. 11. Si quis depositum apud alterum furatus sit, restituito. Si fur deprehendi non potuerit, depositi custos, qui fuerit in culpa duplum restituito 22. Exod. 7. Si depositum contractum aut mortuum nulla custodis culpa fuerit, custos indemnis esto. 22. Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Sacrilegium detestabile Deo furtum est. Achamus Iosue 7. cap. ex anathemate Iericuntis pallium Babylonicum, & ducentos seculos argenteos, virgamque auream quinquaginta seclorum contra mandatum Iehovae furatus est: unde & Israelitae ab hostibus profligati consulto Iehova & quaestione habita sacrilegus deprehensus lapidatur. Atque hac lege teneri sibi videbantur Pharisei, si nummos a Iuda redditos, in corbonam misissent, quia pretium sanguinis esset. Ideoque de consilii sententia sepulchretum peregrinis ea pecunia emerunt. 27. Matth. 7. Fœnus rapinae species est, ideoque prohibitum. Si pignori vestimentum proximi acceperis, ante solis occasum restituito. 22. Exo. 26. non fœneraberis fratri fœnus pecuniae, fœnus cibi, fœnus cujuscunque rei, quae fœnori dari solet. Extraneo fœneraberis 23. Deutero. 19. At inter Christianos non est extraneus sed popularis, civis, frater tibi quivis est. Furtum est invisum cum mercenario sua merces detrahi-

tur. Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane 19. Levitic. 13. Item 24. Deuteronom. 14. Non vim afferes mercenario pauperi & egeno, tam de fratribus tuis quam de peregrinis tuis, qui sunt in terra tua intra portas tuas, in die suo dabis mercedem ejus, neque occumbet super eam sol, quoniam pauper est, & cum ea sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Iehovam, & sit in te peccatum. Item 25. Deuteronomii 4. Non obturabis os bovis tritulantis. Sic Iacobus expostulat cum Labano. 31. Genes. 41. Iam mihi sunt viginti anni in domo tua, servivi tibi quatuordecim annos pro duabus filiabus tuis, & sex annos pro pecudibus tuis: Mutasti autem mercedem meam decies: nisi Deus patris mei, Deus Abrahami & pavor Isaaci affuisset mihi, certe nunc vacuum dimisisses me, sed afflictionem meam & laborem manuum mearum vidit Deus, & increpavit te nocte preterita. Hec igitur de mercedis furto querimonia est Iacobi: furtum vero manifestius est injustae dimensionis, injusti ponderis, injustaeque mensurae, ideoque damnatum. Non facies iniquitatem in decempeda, in pondere, in mensura, sed singula haec justa sunt 19. Levitic. 35. 36. Item non erit tibi in loculo tuo pondus & pondus majus & minus. Non erit tibi in domo tua modius & modius major & minor. Pondus perfectum & justum erit tibi: modius perfectus & justus erit tibi, ut prolongent dies tuos super terram, quam Iehova Deus tuus dat tibi: quia abominatio Iehovae

horæ Dei tui est, quicumque facit hæc, 25. Deuteronomii 13. 14. Ad decempedæ iniquitatem refertur translatio terminorum, 19. Deuteronomii. 14. Non transferes terminum proximi tui, quem terminaverunt priores in hereditate tua. Item 27. Deuteronom. 17. Maledictus qui transfert terminum proximi sui, & dicet universus populus, Amen. Sed hæc furtorum genera vulgaria illa quidem, at non sola sunt: furtum enim est, quidquid dolis & fraudibus & perversis callidorum hominum artibus, atque ingeniis alteri detrahitur. Eripuisti captiosa suasionem? furtum est. Pluris vendidisti, quam justum pretium pateretur? furtum est. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne opprimatis singuli fratrem suum. 25. Lev. 14. Testamentum falsis tabulis subiecisti, ideoque legitimos hæredes defraudasti? furtum est: Commodato vel pignore abuteris? furtum est: Alea collusoristi nummos avertisti? furtum est, vel humanis legibus damnatum. Si famam alienam tibi vindicas? furtum est: si furtum fure multato tibi reservas, ut improbi iudices ac principes, ut seductores conscientiarum plerique sacerdotes pro suis laboribus retinent furibus antea remissionem peccatorum polliciti: si bona pauperum subventioni legata in privatos usus transfers, non jam fur es furca dignus, sed prædo rotam meritus. Peculatus etiã atrocior est, eum magistratus civitatem aut provinciam iniquis exactionibus vexarit, ideoque pœnis gravioribus coercetur.

Sedenim furta, peculatus, latrocinia vocantur, cum leges humanæ coercere possunt, quidquid supra est, heroica virtus vulgo judicatur: Id nimirum deprehensus in Myoparone respondit prædo ille Macedoni Alexandro: Pyrata nominor ait, qui unico navigio piraticam facio, tu qui ingenti classe maria infestas, rex appellaris. At cumulus scelerum scelera nequaquam apud Deum nobilitat, nec quæ jura gentium sancuntur in tabulis populi Romani, jura etiam sunt in tabulis æterni Dei. Sed atrocitas furti tyrannica erga oppressos & subjectos est indignior: qualis est Phataonis barbaries Hebræos iniquissimis quotidianorum operum exactioibus opprimentis. Furtum verò Spartiatis suis Lacedæmon alioqui severissima græcarum civitatum, tamen occultum permittebat: & Hebræi per speciem commodati Ægyptios aut, argento, veste spoliarunt. At Deus ne boni quidem cuiusquam causa malum ullum permittit, & Deus cum donabat Hebræis Ægyptiorum bona, sua bona donabat, quæ commodaverat Ægyptiis, vel reposcebat, quæ Hebræis Ægyptii deberent. Quamobrem lege octava quodlibet furtum condemnatur: nec ideo tamen œconomia & honesta vel mercatura, vel etiam alia quævis rei familiaris vel conservandæ vel amplificandæ ratio condemnatur. Sedenim charitas & pietas hominum inter se multo magis hac lege commendatur, quam furtum ullum prohibetur. In vindemia proximi tui, comedes

des uvas pro desiderio tuo ad saturitatem tuam,  
at in vase tuo non efferes. In messe proximi tui  
decerpes spicas manu tua, at segerem non seca-  
bis, ut efferas, 23. Deuteronom. 24. 29. Hac licen-  
tia discipuli Christi 12. Matth. 1. vellunt spicas  
& edunt. Major etiam charitas illa est 19. Levit.  
9. 10. item 23. Levit. 22. Cum messueritis mes-  
sem regionis vestrae, non finies metere angulum  
agri tui, nec remanentes spicas colliges, & vine-  
am tuam non racemabis, neque grana vineae  
tuae colliges pauperi & peregrino relinques ea.  
Item 24. Deuteronom. 19. 20. 21. 22. Cum  
messueris messem in agro tuo, & oblitus fueris  
manipulum aliquem in agro, non reverteris ad  
recipiendum illum: peregrino, pupillo & viduae  
erit: ut benedicat tibi Iehova Deus tuus in om-  
ni opere manuum tuarum. Cum excusseris oli-  
vas tuas, non scrutaberis ramos, quos relique-  
ris post te, peregrino & pupillo & viduae erit.  
Cum vindemiaveris vineam tuam, non colli-  
ges racemos post te, peregrino, pupillo & vi-  
duae erit. Et memento quod servus fueris in ter-  
ra Aegypti: idcirco praecipio tibi, ut facias hanc  
rem. Si videris cuiusquam vel bovem, vel a-  
gnum, vel asinum, vel vestem, vel quamcunque  
rem aliam amissam, non abscondes, neque re-  
tinebis tibi, sed conservabis, donec requirantur,  
& restitues. 22. Deuteronom. 1. & deinceps:  
Cum autem attenuatus fuerit frater tuus, & nu-  
taverit manus ejus apud te, apprehendes illum,  
sicut peregrinus & advena vivet tecum: nec ac-

cipies usuram ab eo, nec amplius quam dederis,  
 sed timebis tibi a Deo tuo, vivetque frater apud  
 te. Septimo quoque anno omne æs alienum  
 populari tuo remittes perficiensque, ne quis-  
 quam sit in tua civitate mendicus: Septimo au-  
 tem anno servos servasque libertati restitues, &  
 quidem largitatis tuæ fructibus oneratos re-  
 stitues, decimo quinto Deuteronomii primo, &  
 deinceps. Iubet igitur Deus, benefacere non  
 solum nostris civibus & ejusdem religionis mu-  
 nicipibus sed peregrinis & advenis omninoque  
 omnibus hominibus. Sed in novo testamen-  
 to charitas ista vehementius etiam commen-  
 datur, & imprimis omnis ostentatio ab ea re-  
 moveretur, sexto capite Matthæi versu primo.  
 Ac ne qua charitatis exercendæ officia deef-  
 sent, pauperes perpetuo sumus habituri, vige-  
 simo sexto Matthæi decimo. **N** Atque hinc Chri-  
 stus Matthæi vigesimo quinto trigesimo quarto,  
 & deinceps, præcipuas constituit causas vitæ &  
 beatæ in cælo, & miseræ apud inferos. Cum  
 autem venerit (ait) filius hominis in gloria sua,  
 & omnes sancti angeli cum eo, tum sedebit su-  
 per thronum gloriæ suæ, & cogentur corami-  
 pso omnes populi, & separabit ipsos, inter se,  
 quemadmodum pastor separat oves ab hædis,  
 & statuet quidem oves ad dexteram suam: hæ-  
 dos autem ad sinistram. Tunc dicet rex ad  
 dexteram positus: venite benedicti patris mei,  
 possidete præparatum vobis regnum a crea-  
 tione mundi: Esurivi enim, & dedistis mi-  
 hi ci-

hi c  
 spes  
 vilit  
 re f  
 bun  
 rien  
 dedi  
 tem  
 quai  
 cere  
 cer e  
 horu  
 cistis  
 Abite  
 parat  
 nim d  
 dedifi  
 glistis  
 grotu  
 Tum  
 te vid  
 spiten  
 cere,  
 biteis  
 uni ill  
 abibun  
 in vita  
 oppos  
 firmat  
 tibus  
 quisti

hi cibum, sitivi & dedistis mihi potum, hospes fui & collegistis me, nudus fui, & vestivistis me, ægrotavi, & invistis me, in carcere fui, & venistis ad me: Tunc ipsi respondebunt justi: Domine quando te vidimus esurientem, & aluimus? aut sitientem & potum dedimus? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus? aut nudum & vestivimus? quando autem te vidimus ægrotum aut in carcere & venimus ad te? Et respondens rex dicet eis: Amen dico vobis, quod fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis. Tunc dicet etiam ad sinistram positus: Abite à me maledicti in ignem æternum præparatum diabolo & angelis ipsius: Esurivi enim & non dedistis mihi cibum, sitivi & non dedistis mihi potum, hospes fui, & non collegistis me, nudus fui, & non vestivistis me, ægrotus & in carcere fui, & non invistis me: Tum & respondebunt illi: Domine quando te vidimus esurientem aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere, & non adjuvimus tibi? Tunc respondebit eis: Amen dico vobis, quod non fecistis uni istorum minimorum, nec mihi fecistis: Et abibunt hi in supplicium æternum, justi verò in vitam æternam. Quapropter charitas furto opposita sic ab optimo præcone prædicatur: Affirmatioque legis é negatione fuerit, Bonis tuis tibi que legitima vel successione relictis vel acquisitione partis non solum contentus esto,

sed multó magis his ipsis fratri tuo liberaliter ac benigné facito.

Cap. 11. De Lege 9. adversus mendacium.

**N**ON testificaberis, adversus proximum tuum, testimonium mendacii. ] Superiore proxima lege furandi iniquitas damnata est: híc damnatur iniquitas falsi adversus civem tuum testimonii. Antea veró impia & irreligiosa vanitas juramenti per Dei nomen accusata est, etiamsi nemo offenderetur: híc autem contra civem tuum perjurio etiamsi nomen Dei nullum sit interpositum, interdicitur. Itaque illic pietati erga Deum, híc charitati erga proximum prospicitur & cavetur. Proximi vero nomen in sacris literis ex Hebræo ( Reuge ) pro socio vel amico vel fratre dicitur: quibus tamen verbis Latíné vis Hebræa nequaquam redditur, qua non aliud significatur, quam Latinis Alter, tanquam sic sanciretur: Adversus alterum non testificaberis testimonium mendacii: Verbum tamen proximi Christianis Græcis ( ut apparet é novo testamento ) sic usurpatum est: Itaque teneatur, sed suo sensu. Mendacium igitur falsi testis lege prohibetur. Non assumes tumorem falsum mendacii, nec pones manum tuam cum impio, ut sis testis mendax. 23. Exodi 1. 2. Non mentiemini quisque in proximum suum. 19. Levitic. 11. Qui sciens & prudens tolerat

tolerat alterius perjurium, pœnam ipsius luito.  
5. Levitic. 1. Atqui testi magna in reos pec-  
candi licentia est. In ore duorum vel trium inter-  
ficietur qui moriturus est, non autem interficie-  
tur in ore unius, 35. Numerorum 30. 17. Deu-  
teronomii 6. Item 19. Deuteronomii 15. Item  
manus testium erit primum in illum ad eum in-  
terficiendum, & manus universi populi postea,  
& ita auferes malum é medio tui 17. Deuterono-  
mii 7. Quare cùm testis sit idem & primus ju-  
dex & primus carnifex, falsum testimonium im-  
primis cavendum est. Itaque pœna talionis fal-  
so testi sic instituitur 19. Deuteronomii 16. 17.  
18. 19. 20. Cùm steterit testis mendax contra a-  
liquem, ut testificetur contra eum verbum per-  
versum, tunc stabunt duo illi homines, quibus  
est lis, coram Iehova, id est, coram sacerdotibus  
& iudicibus, qui fuerint in diebus illis: Et inquir-  
rent iudices diligenter: & si testis ille est testis  
mendax, mendacium testificatus est contra fra-  
trem suum: Facietis ei quemadmodum cogita-  
vit facere fratri suo: & ita auferes malum é me-  
dio tui. Et qui remanserint audient & time-  
bunt, nec perseverabunt facere ultra malum si-  
mile huic in medio tui. Neque parceret oculus  
tuus: animam pro anima, oculum pro oculo,  
dentem pro dente, manum pro manu, pedem  
pro pede. Talis pœna talionis fuit Susannæ fal-  
sis testibus. Ut enim Susannæ lapidationem suo  
perjurio quæsierant, sic etiam á Daniele (quis-  
quis Daniel ille fuerit) convicti, perpeffi sunt.

Quapropter testimonii & veri potestas, & falsi pœna est ejusmodi. Sed inter generis hujus fraudes maximè capitalis est injustitia non falsi testis, sed judicis & magistratus reipub. ac legibus perjuri, cùm per speciem justitiæ injustitia exercetur. Item 23. Exod. 6. Non pervertes iudicium pauperis tui in lite ejus: à sermone falso recedes, neque innocentem & justum occides, quia non justificabo impium. Item 16. Deuteronomii 18. Iudices & præsidēs pones tibi intra omnes portas tuas, quas Iehova Deus tuus dat tibi in tribubus tuis, qui judicabunt populum iudicio justitiæ. Item, Iudiciū unum erit vobis, sicut peregrinus, sic & indigena erit: quia ego Iehova Deus vester 24. Levitic. 22. Denique omnino de iudice non audiatur illud.

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Maximè verò in hoc injustitiæ genere damnatur imprimis facta peregrinis, pupillis, viduis injuria 24. Deut. 17. 18. Non pervertes iudicium peregrini, pupilli, sed recordabere quòd fueris servus in Ægypto, & redemerit te Iehova Deus tuus inde. Item 27. Deuter. 19. Maledictus, qui pervertit iudicium peregrini, pupilli, viduæ. Legalem verò civilemque sapientiam, duobus Hebræis insignem lex attribuit Iosepho & Mosi. Iosephus apud Ægyptios sapientissimus hominum habitus est, ideoque regiis honoribus affectus, regni gubernationi præpositus est, 41. Genes. 38. Moses erat vir imprimis magnus & illustris in oculis aulicorum Pharaonis & in oculis populi

puli non solum Ægyptii, sed Hebræi. Itaque cum per desertum sexcenta Hebræorum milia præterimbellem mulierum impuberemque turbam duceret, tanta reverentia cultus est ab Hebræis, ut ad tabernaculum accedenti assurgeret universus populus, in eumque totis oculis conversus ac defixus esset II. Exod. 3. Item 33. Exod. 8. Sed maximè omnium corruptela munerum tanquam pestis maxima fugiatur. Non inclinabis iudicium, non agnosces personam, neque capies munus, quia munus excæcat oculos sapientum, & destruit verba iustorum. Hinc paganorum figmentis iustitia fingitur oculis velata, & tanquam libripens: unde Satyricus ille.

*Scis etenim iustum gemina suspendere lance*

*Ancipitis libra, rectum discernis ubi inter* (Per. sa. 4)

*Curva subit, vel cum fallit pede regula varo*

*Et potis es vitio nigrum præfigere theta.*

Vox igitur illa Samuelis sit in conscientia & ore iudicis ante populum de se ipso inquirentis, I. Sam. 12. 3. 4. En ego, testificamini contra me coram Iehova & coram uncto eius, an bovem cuiusquam tulerim, & asinum cuiusquam acceperim, & cui vim intulerim, & quem contriverim, & de manu cuius tulerim pretium, & occultaverim oculos meos ab eo: & restituam vobis. Responderunt, non vim intulisti nobis, nec contrivisti nos, neque tulisti de manu cuiusquam quidpiam. Quamobrem nona lege requiritur in teste accurata veritas, & in Iudice incorrupta

justitia, quod utrumque naturali quadam & veritatis & æquitatis luce sic hominum mentibus expositum est, ut poëtæ gentium nempe doctores illud ipsum veluti concionentur.

*Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem*

*Integer, ambigua si quãdo citabere testis (lu. fa. 8.*

*Incerteq; rei, Phalaris licet imperet, ut sis*

*Falsus, & admoto dicet perjuriam tauro:*

*Summum credo nefas animam præferre pudori,*

*Et propter vitam vivendi perdere causas.*

Atqui pœna quædam judicialis fuit Hebrais Romani fustuarii similis, qua reus coram judice quadragenis plagis cædebatur, nec amplius, ne tracter coram judice veluti contempta bestia moreretur. 25. Deuter. 1. 2. 3. Quomodo & Paulus 2. Corinth. 11. 24. p. plagis quinquies unde quadragenis se cæsum commemorat. Suspensi autem cadaver lex sepeliri jubet, 21. Deut. 22. 23. quod tamen a plerisque Christianis hoc tempore non observatur, atque imprimis a nostris Francis. Atque ut antea homicidii & adulterii nominibus intellecta est quævis violentia, quævis scortatio, ita modo falsi testimonii nomine intelligitur mendacium quodlibet. Sara negavit se risisse de promisso Isaac, mendacii coarguitur a Deo 18. Geneseos 12. Michol Davidis uxor mentiendo liberavit maritum suum: falsum testimoniũ fuit. Atque hæc peccati species ad mentem potius cuipiam fortasse, quàm ad mores spectare videatur: ut peccatum sit logicum, & tanquam scholasticus elenchus: At revera ad partem justitiæ  
de di-

de dictis attinet, cum mendacio nostro cuiusdam detrahitur: Et hic elenchus in moribus adeo que in hominum naturam penitus insitus, atque ingeneratus est. Scriptura non dicit, Omnis homo atheus vel idololatra, vel in Dei nomen blasphemus, vel Sabbathi violator, vel contemptor parentum, vel homicida, vel adulter, vel fur, vel appetens alieni, sed aperte dicit Psal. I 16. I 1. Omnis homo mendax, & mendacium homini prima a serpente ad omnem nequitiam fenestra fuit. Atque hæc nimirum naturalis est hominum servitus, quam philosophis modo quodam perceptam diximus. Itaque cum primus homo verax logicus a Deo factus esset, peccato suo in mendacem sophisticam degeneravit, & pro logica sophisticam posteritati hereditariam reliquit. Quare ut tam pestifer elenchus coerceretur, lege hæc valde opus fuit, præsertim cum sophistica ad feminis perniciem tenderet. Atqui interdum circumstantiis mendacium videtur relaxari, ut non improbetur. Plato putat licere principibus civitatis mentiri ad civium salutem: item medicis ad ægrotantium valetudinem: & sic ajunt Oratori mendacium esse concessum. Saphoræ & Phuæ obstetricibus Hebræorum imperaverat Pharaon, ut nascentem marem quemlibet Hebræum necarent: at timuerunt Deum, nec tyranno paruerunt: Itaque interrogatæ, cur non paruissent, responderunt Hebræas mulieres Ægyptiis esse robustiores & antè parere quam obstetrix adveniret. Benefecit ergo Deus obstetri-

cibus, & fecit eis domos, easque locupletavit, 1. Exod. 15. & deinceps. Atque hinc obstetricum mendacium tam officiosum videatur a Deo probari: at fides & pietas probata est, non mendacium. Nec Deus mendacio latebram ullam relinquit, mendacium omnino prohibet. Et quidem orationis genus consideratis principibus vel medicis deesse non potest, ut vel civibus vel ægrotis spes eadem sine mendacio proponatur. Neque verum est oratorem mentiendi artificem esse, cum eloquentia tanquam prophetia in sacris literis honoretur, & Mosi (quia natura indifertus & balbus esset) dicitur, Aharon frater tuus erit propheta tuus, 7. Exod. id est interpreter & orator qui Pharaoni exponat, quæcunque Deus imperaverit. Et periculosa questio prudenter evitari potest, ut ei nihil nominatim respondeas, sed aliud opponas ad idem dissolvendum, ut 21. Matth. 23. cum Christus interrogatur qua autoritate faciat ea, quæ facit, obiicit baptismum Ioannis: & adversariis os occludit. Denique mendacium etiam gentibus tam odiosum fuit, ut orator disputet mendacem nihil a perjuro differre. Qui mentiri solet (ait pro Comædo) pejerare consuevit, quem ego ut mentiatur inducere possum, ut pejeret exorare facile potero: Nam qui semel a veritate deflexit, hic non maiore religione ad perjurium quam ad mendacium perducitur consuevit. Hac orator: cui Menandri sententia illa imprimis congruit.

Se  
Vnd  
iulv  
te ch  
non o  
ralita  
tes or  
Qua  
dis m  
Ca  
N  
aut an  
aut m  
voque  
fata su  
pidita  
no fui  
ret. A  
Hebr  
riam d  
fces de  
cupisc  
rium s  
seipsu  
que o  
sunt  
libidin

ἀλλ' ἐκράτισόν ὅτι πάλιν λέγειν.

*Semper optimum est vera dicere.*

Vnde constat humanis divinisque sententiis cuiusvis mendacii injustitiam condemnari. Et certe charitas non invidet, non quaerit quae sua sunt, non deletatur injustitia, sed benevolentia, liberalitate, justitia, 1. Corinth. 13. 4. 6. Quae virtutes omnes uni mendacio propriè opponuntur. Quamobrem summa legis est. In omnibus dictis ne mendax, sed verax esto.

*Cap. 12. De lege 10. adversus cupiditatem.*

**N**ON concupisces domum proximi tui: non concupisces uxorem proximi tui, aut servum ejus, aut ancillam ejus, aut bovem ejus, aut asinum ejus, aut ullam rem, quae sit proximi tui. ] Septimo octavoque mandato, flagitiosa avaraque facta accusata sunt: decimo tandem flagitiosa & avarae cupiditates accusantur. Et causa videtur Augustino fuisse, ut duo mandata ex uno decimo faceret. Atque ejusdem opinionis error etiam inter Hebraeos versatus est, qui praecipuum hoc bifariam diviserant: ut nonum esset: Non concupisces domum, &c. Decimum autem, Non concupisces uxorem, &c. Aben Esra hunc popularium suorum errorem refellit. Augustinus autem seipsum (ut praedictum est) etiam retractavit. Neque omnino mandata hinc duo distingui possunt. Nec enim hinc cupiditas furti a scortationis libidine distinguitur, ut in illa duo mandata di-

stinctio requireret. Nam scortationis libido de aliena uxore, inter avaritiæ subjectas partes includitur, ut manifesté appareat non genera viti- orum divisa esse, sed subjecta cupiditatum exem- pla fuisse confusa. Sed cupiditatis peccatum de principio describatur. Objecta scorti aut furti specie primó movetur animus & titillatur, cogi- tatio quædam & apprehensio est: tum assentitur & concupiscit, illud cupiditatis peccatum modó prohibetur, hæque primæ voluptatum & rapina- rum illecebræ damnantur, quod quidem pecca- tum humano sensui nullum peccatum videatur: ut etiam Paulus Rom. 7. 7. dicat. Cupiditatem ignorarem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Quod igitur cupiditas ista peccatum sit, hinc pa- tet. Homo enim (quod tam sæpe repeto) creatus est ad imaginem Dei, à qua per peccatum prolap- sus jubetur eam recuperare. 3. Coloss. Induistis novum hominem qui revocatur ad agnitionem juxta imaginem ejus, qui condidit illum. Aberra- re igitur ab hac imagine peccare est, si recté acci- pimus ἀμαρτίαν ἀπὸ τοῦ ἀμαρτάνειν: & Tertullianus ait ad imaginem Dei esse illos, qui habent eisdé sensus & motus, quos habet dominus: & philo- sophis quibusdam peccare, est perfectæ naturæ non congruenter & cōvenienter vivere. Itaque quoties ab illa perfectæ natura disceditur, disce- ditur ab imagine Dei: ideoque peccatur. Quare sic habeatur quid sit cupiditas, & quamobrem cupiditas sit peccatum. Iam partes legis singulas expendamus.

Non

*Non concupisces domum proximi tui.*] Domus nomine quævis hæreditas significatur. Rex Achabus concupivit Naboti vineam regali palatio propinquam aut melioris vineæ permutatione, aut pretio ampliore redempturus. Nabotus negavit se majorum suorum hæreditatem alienaturum: unde Rex iratus intemperantis cupiditatis flammam Naboti scelerata oppressione exprompsit. Hic nõ solum cupiditas, sed facinus fuit. Atque hæc flamma mortalium animos vehementer exurit, imprimisque excellentium. Hic enim ardor Alexandrum, Cæsarem, & maximum quemque inter homines belli ducem exulsiit, ut finitima regna concupisceret, & vix tandem terrarum imperio contentus esset,

--- *Unus Pelao juveni non sufficit orbis*, ait ille,

*Non concupisces uxorem proximi tui.*] Sara Abrahami fuit eleganti ac venusta forma: itaque concupiscitur à Pharaone & rapitur: At regis cupiditatem gravibus plagis Deus ultus est, 12. Genesios 11. & deinceps. Sara iterum concupiscitur ab Abimelecho, sed iterum regis cupiditas à Deo vindicatur, 20. Genes. 2. & deinceps. Iosephus adolescens formosus fuit, ideoque concupiscitur ab heri, muliebrique libidini cum resisteret, impotentis scæminæ calumniis in vincula conjectus est: At Deus idem qui castitatem Saræ vindicaverat, Iosephi continentiam vindicavit. Sedenim hanc decimæ legis partem de cupiditate adulterii Christus Matthæi 5. 27. cum lege octava de adulterio ipso comparat, ut dua-

rum legum affinitas animadvertatur, latiúsque interpretatur, omnesque mali hujus occasiones effugiendas præcipit. Audistis (ait) quód antiquis dictum sit, Non adulteraberis: at ego dico vobis, quicumque mulierem aspexerit, ut eam concupiscat, jam animo ipsam adulteratus est. Quod si oculus dexter offensionis tibi causa sit, erue atque abjice abs te: expedit enim tibi ut unum ex tuis membris pereat, neque totum corpus tuum in gehennam conjiciatur. Et si manus dextera offensionis tibi causa est, amputa illam, & abs te abjice. Expedit enim tibi, ut unum é tuis membris pereat, ne totum corpus tuum in gehennam conjiciatur. Bersabeam in balneis nudam David aspexit, protinusque exarsit adulterium. Candaules ostentavit suam reginam nudo corpore Gygi pastori, utrumque ad stuprum invitavit. Hos igitur oculos, has dextras Christus avellit, casteque aliquando Alexander Perficis puellas in conspectum venire vetuit, quód eas oculorum dolores esse diceret. Notum nempe carmen illud est.

*Ut vidi ut perii ut me malus abstulit error.*

Quare si forma quædam speciosior sua venustate ardorem libidinis in animo tuo accenderit, cupiditas flagitiosa est, etiamsi libido nulla effusa sit. Recteque Pericles cum haberet collegam in prætura Sophoclem Poetam, hique de communi officio convenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetque Sophocles: O puerum pulchrum Pericle: at enim prætorem  
Sopho-

Soph  
absti  
actio  
bari  
Etra)  
atque  
quia  
na leg  
perfu  
gis av  
tantu  
una f  
bant  
terea  
stas  
septi  
mun  
dom  
petu  
15. I  
dom  
casio  
ratu  
25.  
pern  
subd  
nera  
tior  
est, &

Sophocle decet nō solū manus, sed etiā oculos abstinentes habere. Itaque videmus libidinis nō actiones solū sed cogitatiōes Ethnicis improbari. Et rectē, Etenim si videris (ut hīc ait Aben Ezra) matrē aut sororem quāvis excellenti specie atque venustate, non concupisces tamen animo: quia nefas id esse tibi persuasum est. Ita cum divina lege cupiditatem alienæ uxoris prohibitā tibi persuaseris, paribus frenis affectum cohibebis.

*Aut servum ejus, &c.*] Reliquis partibus legis avaris cupiditatibus subjecta genera enumerantur. Servorum apud Hebræos conditio non una fuit. Ethnici perpetuam servitutem serviebant. Hebræi autem sex annos tantum: ut interea etiam humaniter tractarentur, & potestas esset per se vel propinquos redimendi sui, septimo anno liberabantur, ut jam patuit: sed munerati pecore, frumento, vino. Si servus à domino discedere nollet, perforabatur auris, perpetuoque serviebat, 21. Exodi 1. 25. Levit. 44. 15. Deuteronomii 12. Quod si servus fugisset à domino, fugitivus tamen humanitatis atque occasionis justa causa non reddebatur, sed liber erat ubicunque libuisset esse, 23. Deuteronomii 25. Quapropter hīc Hebræis cupiditati locus permagnus fuit ad servos & ancillas dominis subducendum.

*Aut bovem aut asinum.*] Hæc animantium genera lex nominavit, quæ Hebræis essent usitatiora atque utiliora: Bos enim homini colonus est, & socius agriculturæ, & quæstus ex asino opī

ma præda exuperat ait Plin. libro 8. ad ejusmodi igitur cupiditatem servorum, ancillarum, boum, asinorum, oculi manusque & occasiones reliquæ perinde periculosa sint. Ezechias rex, Babyloniorum legatis regiam gazam ostentavit, eaque ostentatione avaros hostes sollicitavit ad prædam. Atqui hæc furandi prædandi que cupiditas ab Apolline vindicata dicitur, ut cacodemones divinæ legis, vel authores, vel certé ad stipulatores idololatræ suis videri voluerint. Sic enim Juvenalis Satyra 13.

*Spartano cuidam respondit Pythia vates  
 Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret  
 Deposita retinere, & si audem jure tueri  
 Jurando, querebat enim qua numinis esset  
 Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.  
 Reddidit ergo metu, non moribus: & tamen omnem  
 Vocem adyti dignam templo veramque probavit.  
 Extinctus tota pariter cum prole domus,  
 Et quamvis longa deductis gente propinquis,  
 Has patitur poenas peccandi sola voluntas.  
 Nam scelus intra setacitum qui cogitat ullum,  
 Facti crimen habet, cedo, si conata peregit?  
 Perpetua anxietas, &c.*

Hæc (inquam) ab Apolline perversæ cupiditatis est vindicta per internecionem universæ familiæ, eaque tristior in speciem divina ipsa lege, quæ nullam capitalem poenam huic peccato proposuit, cum statum conscientiæ & recessus mentis tantum spectet. Et quidem lex optimo jure meritissimoque antecedentibus legibus ad  
 dita,

ditā, quæque præ cæteris legibus contrariam in hominum mentibus ac membris repugnantem que legem habeat. Verum nempe illud:

*Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata,  
Sic interdictis imminet ager aquis.*

Vel potius illud est verius:

*(Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas  
Semina nequitia languidior a facit.*

Quapropter decimum mandatum interiorē avaritiæ & scortationis cupiditatem ē piorum animis evelli & radicitus extirpari jubet, ut hæ sordes ne cogitationem quidem coinquent, nedum voluntatem aut actionem commaculent, ut si nactus sis infinitam libidinis quibuscunque rebus explendæ facultatem, Gygis denique annulum, quem, qui gestaret, invisibilis fieret, & ideo quæ libido ferret, impunè posset exequi, si annulum inquam Gygis nactus sis, attamen non utare. Postremo charitas cupiditati contraria non cogitat malum, 1. Corinthiorum 13. 5. Charitati autem præcipuè hypocrisis est opposita, non unius alicujus peccati labes, sed velut Oceanus, quo undique maleficia omnia confluunt. Itaque 13. Matth. 14. tam vehementer accusatur. Tantum igitur appetito, quantum honesta naturæ desideria ferent, affirmatio legis erit ultimæ. Quæ cū ita sint, ut primæ tabulæ summa fuit, dilige dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua: illud enim est primum & maximum mandatum: sic secundæ tabulæ summa

erit, dilige proximum tuum sicut teipsum. Hoc enim secundum mandatum primo simile, & ab his duobus mandatis tota lex & prophetæ deducuntur, Matth. 22. 37.

*Cap. 13. De peroratione legis ex ipsius  
præmio & pœna.*

**P**ROEMIVM legis initio præpositum est, epilogus proæmio consentiens ad extremum peroretur: proæmium legis humanæ nullū unquam tale fuit, epilogus legis humanæ neque præmio neque pœna talis unquam fuit. Decem itaque Iehovæ verba sic nobis exposita comprehensaque sunt quorum observatio variis benedictionibus consecrata est, contemptus & violatio non paucioribus diris & maledictionibus est execrata. Recteque ideo Solon Remp. censuit duabus rebus contineri præmio & pœna, quorum utrumque variis per totam legem locis sed præcipue, 25. Levit. 28. Deut. in Garizimo & Heballo montibus oppositis personat. Agedum é Garizimi vertice exaudiatur benedictio prima summaque ex observatis cultisque legibus animi á sordibus vitiorum & maculis omnibus expiatio, mentisque sanctificatio, eque tam præclaris virtutibus exornatio: Sed expiationis, sanctificationis, atque exornationis extrinsecus adjuncta veluti munera ingentia exaudiantur, si ab hac obedientia neque ad dexteram neque ad sinistram deflexeris. Etenim  
thefau-

thesaurus omnium divitiarum amplissimus bonique aperitur ad oportunas pluviarum ventorumque tempestates ac serenitates temporibus suis dispertiendum, id est, ad prata, sylvas, segetes, vineas, oleas, greges, armenta alendum, vegetandum, opimandum, fecundandum, ut messis vindemiam, vindemia sementem occupet, in abundantia affluentiaque rerum foenilia, lignilia, horrea, cellae cujusquemodi, canistra, calathi, arcae, macrae bonis omnibus compleantur proptereaque mutuo vel dono largiri possis omnibus, accipere a quoquam nihil habeas necesse. Secundo loco accedit corporis robur, prosperaque valetudo, chari & amabiles liberi, vita diuturna & pacata, fausta, felicia, prospera omnia in vrbe, in agro, domi forisque, propulsio hostium & profligatio, ut qui hostis una via adversus te venerit, septem viis ante te fugiat: de omnibus inimicis victoria: ut caput sis non cauda, sisque perpetuo sursum, deorsum nunquam, populorumque omnium dominus sis ad Dei laudem & gloriam. Itaque Garizimus tanta tamque magna observatae legis munera veris cultoribus pollicetur, & velut ex edito suggestu ad ea consequendum cohortatur. Verum enimvero mons Hebalus horribiles minas dirasque e regione comparat, & impiis comminatur. Execratio omnium prima maximaque est ipsa vitiorum turpitudine atque labes immanis, atheismus, barbara idololatria, sacrilega divini nominis blasphemia, sacrae nefarius requie

tis contemptus, dira in parentes impietas, crudele homicidium, prostituta impudicitia, avara rapacitas, fraudulentum mendacium, effrenata cupiditas. Hæc enim divinarum maledictionum maledictio longè gravissima est, 28. Deuteronomii 27. Percutiet te Iehova amentia, cæcitate, stupore cordis. Atque inter has animi pœnas hæc amentia præcipuè inculcatur: palpabis in meridie ut cæcus, errabisque & vagaberis, collesque barbaricos deos lapidem & lignum. Itaque etiam à Levita ad Israelem concluditur. Maledictus qui non statuerit sibi verba legis istius observanda, & dicet universus populus, Amen. Hæc prima adversus improbos detestatio est: deinde ad animi tam perditum tamque miserabilem statum contraria prosperitatibus illis calamitatum genera proponuntur. Thesaurus ille divinarum opum occludetur: cælum aheneum erit terraque ferrea, pro pluvia pulvis erit & cinis: ariditas, rubigo, vermis, locusta. Itaque dicitur impio, maledictus erit fructus agri tui, ex semente magna messis erit exigua, eaque vorabitur ab ignotis & exteris: arbores tuæ confundentur à locustis: infestabuntur calathi tui, mactra tuæ, canistra tua: oleas habebis, nec oleo inunges caput tuum: vineam plantabis, nec eam septimo anno possidebis, nec vinum omnino ex ea gustabis: domum ædificabis, nec habitabis in ea, Bos tua mactabitur, neque comedes ex ea, greges & armenta tua rapiuntur: venies ad hostem una via, septem viis ab eo fugies: maledictus

ledictus eris in egressu, maledictus in regressu,  
maledictus in urbe, maledictus in agro, maledicta familia sobolesque tua: uxor erit adultera: liberos suscipies, sed eis orbaberis: pestilentia, pthisi, febre, impetigine, scabie, prurigine pessimoque & insanabili genuum, coxarumque ulcere morbisque cæteris vexaberis: confusio erit & perturbatio horribilis in omnibus tuis & factis & consiliis: sacrum caput eris omnibus: urbes tuæ capientur & diripientur, fameque obsidionis interea oppressus liberos mactabis vorabisque: eorum carnes propinquis invidabis, abripieris cum rege ab hostibus, voce, lingua, facie barbaris & immanibus: reduceris in Ægyptum, omnesque plagas Ægyptias feres. Ac si evaseris, ecce tamen erro eris & vagus, corde pavidus, oculis confusus, animi mœrore confectus: sceleta tua tibi ante oculos dies noctesque versabuntur, neque te usquam respirare sistent: vitæ tuæ diffides, in aurora vesperam, in vespera auroram exoptabis: eris infra mortales omnes abjectissimus: nihil dare cuiquam poteris, sed ab omnibus cogeres emendicare, servies inimicis, enectus fame, siti, nuditate, inopia rerum omnium, ferreumque jugum tolerabis, vel potius si te venalem ultró proscriseris, emptorem non reperies: populis omnibus tu cum posteritate tua eris horror, parabola, fabula, incredibilis miseriæ prodigium ac portentum. Postremo cum funesta vita defunctus fueris, cadaver tuum volucris ac bestiis esca erit. Hæ

sunt adversus impios diræ & pœnæ, tam hor-  
 renda est indignatio, tamque formidabilis furor  
 Iehovæ adversus cõtēptores volūtatis suæ, qua-  
 lis est é contempti evangelii veritate, id est legis  
 luce, quam si qua civitas repudiaverit, tolerabi-  
 lius erit Sodomis & Gomorris in die iudicii,  
 quam illi civitati, 10. Matth. 14. Item tolera-  
 bilius Tyro & Sydoni, 11. Mar. 20. Sic 12. Matt.  
 41. Ninivitæ & regina Austri iudices talium infi-  
 delium futuri denuntiantur. Quamobrem sum-  
 ma legis á Mose hunc in modum concluditur,  
 30. Deut. 15. Proposui tibi hodie vitam & bo-  
 num, mortem & malum, Item 30. Deuter. 19.  
 Testor adversum vos hodie cœlum & terram,  
 quod vitam & mortem proposui, benedictio-  
 nem & maledictionem, eligas ergo vitam & vi-  
 vastu & semen tuum. Sic legis factor, non au-  
 tem sermonis orator servatur, 7. Matt. 21. Item  
 21. Matth. 28. Et perseverans in finem serva-  
 tur, 24. Matth. 13. 25. Matth. 42. 25. Matth. 5.  
 Veruntamen é tanto benedictionum maledi-  
 ctionumque pelago, quæ ad animum solum ex  
 ipsa legum obedientia vel desipientia referun-  
 tur, perpetuæ sunt & uniusmodi: cæteræ verò  
 plerumque beatis miserisque communes & me-  
 diæ sunt, tantumque ad caducâ corporis vitam  
 attinent, ut propterea Saducæi cùm in his re-  
 muneracionibus nihil cœleste atque æternum,  
 sed terrestria & caduca omnia perspicerent, vi-  
 deantur in impiam de mortalibus animis sen-  
 tētiā adducti esse. Omnia enim eveniunt con-  
 similes

similiter omnibus: eventus unus & idem est ju-  
 sto & impio, bono & malo, mundo & immun-  
 do, sacrificanti quoque & non sacrificanti, 9. Ec-  
 clesiastæ 2. Omnisque via viri recta ipsi videtur:  
 ponderat autem corda Iehova, 2 1. Proverb. 20.  
 Quinetiam é plerisque illis miseris beatitas á  
 Christo construitur. Beati qui lugent, beati eri-  
 tis cum probris convitiisque omnibus vexati e-  
 ritis á mentientibus propter me, Matth. 5. 4. &  
 11. Item 10. Matthæi 2 1. 3 4. Sed tum calamita-  
 tes illas virtutis & pietatis exercendæ boni & pii  
 perferent, magnorumque inde præmiorum so-  
 latia consequentur. Itaque sic afflictos consola-  
 tur Christus Matthæi 5. 12. Gaudete & exulta-  
 te, quoniam merces vestra multa est in cælo. Ita  
 enim persecuti sunt prophetas, qui ante vos  
 fuerunt: cumque Petrus cum reliquis Apосто-  
 lis dixisset: Ecce nos reliquimus omnia, & se-  
 quuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus re-  
 spondet: Amen dico vobis, quod vos, qui sequu-  
 ti estis me, in regeneratione, cum sederit filius  
 hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos  
 super duodecim, iudicantes duodecim tribus  
 Israelis. Quid vis amplius? Totum novi fæde-  
 ris evangelium talibus consolatiõibus refertum  
 est, de æterna beatorum in cælo cum Angelis  
 vita, ut si nudas legis species & umbras cum evan-  
 gelii luce & veritate compares, existimes illic  
 magnos cælestis thesauri fructus in terra & ter-  
 renam vitam agentibus promitti, hinc exhiberi  
 ipsum cælestem, imo supra cælum é mirificis

opibus thesaurum, qualem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens hominis comprehendit, Iesa. 64. 4. 1. Corinth. 2. 9. Ista sunt é Christi morte beneficia meritaque ad amissam á primo parente innocentiam, veritatem, justitiam, sanctitatem, vires corporis inviolabiles, æternam & angelicam vitam, lydeream gloriam, perfectam denique animi corporisque sanitatem recuperandum. Hæ sunt igitur domini leges á domino ipso non latae solúm, sed in duabus lapideis tabulis utraque parte divino cœlestique digito scriptæ & rescriptæ, 3 1. Exodi 15. & 3 2. Exod. 15. Priores enim tabulæ á Mose (cúm descendens é monte quadagesimo póst die offendisset á populo aureum vitulum adorari) confractæ sunt, 3 2. Exo. 19. 9. Deuteronomii 1 7. Secundæ deinde delatæ á Mose & eadem Iehovæ scriptura, eodé modo digitoque rescriptæ, 3 4. Exodi 28. & 10. Deuteronomii 1 4. Moses autem Dei iussu conscripsit exemplum, populoque recitavit, 2 4. Exod. 4. 7. & 3 4. Exod. 2 7. Deinde tabulas Dei manu scriptas in setinam arcam conclusit, 1 0. Deuteronomii 3. 5. Descripsit etiam Moses separatim Deuteronomium, ubi lex ipsa esset iterata, & legis interpretatio, sacerdotibusque ac Levitis tradidit, ut in festo tabernaculorum septimo quoque anno in publico conventu recitarent, totamque legem in arcam fœderis inclusit, 2 5. Exodi 1 6. 2 1. 3 1. Deuteronomii 2 6. 2. Regum 8. 9. Imó veró Deus ipse mandavit, ut singuli patresfamilias legis doctores essent liberis, nepotibus, 4.

Deut.

Deut. 9. sive domi residerent, sive foris peregrinarentur, sive dormitum concederent, sive expergiscerentur é somno: legemque universi impressam haberent in corde & animo, in fronte & manu, in angularibus vestimenti simbriis cæruleo filo distinctis (quæ phylacteria dicuntur, Matth. 23. 5.) denique in ædium postibus & foribus 15. Num. 38. Item 4. Deuteron. 9. Item 6. Deuter. 7. Item 11. Deut. 18. 19. 20. Item 27. Deuter. 2. 3. Itaque insana est prorsusque intoleranda doctrina contra tam manifestum Dei præceptum sacrarum literarum lectione populo interdiceret, legemque domini non á viarum lapidibus non á postibus domus & foribus, non á manu & fronte, sed á corde hominum & mente avellere. pareatur igitur non Satanæ per speciem sanctitatis ruinam omnis religionis machinanti, sed vero & omnipotenti Deo tam claré tamque perspicué imperanti pareatur: concludaturque quod initio propositum est, pietatem & charitatem legis summam finemque esse, charitatemque re ipsa legis esse obedientiam & cõsummationem: Et disertissimi illius præconis de charitate præconium 1. Corinth. 13. attenté audiat, quamlibet vel angelorum linguam & eloquentiam, quamlibet vel in altissimis arcanis prophetiam & scientiam, quamlibet quæ vel montes loco moveat, transferatque fidem, quamlibet vel pecuniæ in pauperes largitionem vel sanguinis & vitæ profusionem absque charitate pro nihilo haberi. Pietas erga Deum proximúmque

& charitas est plena quidem fidei, spei, comitatis, patientiæ, inanis autem malitiæ, ambitionis, invidiæ, iniustitiæ: charitas una virtus & tota & sola est. Lingua conticescent, prophetiæ extinguentur, scientiæ peribunt, charitas una solaque non conticescet, non extinguetur, non peribit, sed possessores suos ad cælum usque in beatorum sedem ac domicilium comitabitur, unaque in æternum permanebit.

SECUNDI LIBRI DE LEGE FINIS.

PETRI



hon  
quin  
cap  
mo  
mo  
quid  
Eth  
Itaq  
& p  
legu

PETRI RAMI  
COMMENTARIORUM,  
DE CHRISTIANA RELI-  
gione, Liber tertius.

DE PRECATIONE.

*CAP. I. Quod precatio ad legis offensas ab-  
luendum referatur, quòdque magnas  
vires habeat.*



**T**OV E hæc est privata fidei ac-  
tio in obedientia legis, cuius of-  
fentæ ac violatæ medicina quæ-  
dam in precatione sequitur. Lex  
enim severum & supra corruptas  
hominum vires obsequium ab hominibus re-  
quirit, cùm qui peccaverit in uno (ait Iacobus  
cap. 2.) factus sit omnium reus: At non est ho-  
mo justus super terram, qui non peccet, ait Salo-  
mo. Item non justificabitur in conspectu tuo  
quisquam viventium, Psal. 143. 21. Quod ne  
Ethnicis quidem ignotum fuit: Virg. epigr.

*Vir bonus & sapiens: qualem vix reperit unum*

*Millibus è cunctis hominum consultus Apollo.*

Itaque ut est 3. & 4. Rom. Lex iram operatur,  
& per legem agnitio est peccati. Tametsi igitur  
legum æquitas (ut prædictum est) homini co-

cognata sit & naturalis, attamen feré

*Nemo in se tentat descendere? nemo: Perf. Sat. 4,  
Sed precedentis spectatur mantica tergo.*

Itaque lex utiliter & salutariter propofita est, ut vir pius & salutis suæ studiosus cùm sordium suarum maculas agnoverit, cumque ex legis præscripto tanquam domesticarum rationum calculo aliquo inopiam & egestatem suam perviderit, facilé judicet se nulla omnino parte solvendo esse, sed sibi opus esse precationis adjumento, atque auxilio ad creditorem propitiandum. Precatio igitur est actio fidei, qua ad cultum legis præstandum, & sanctæ vitæ necessaria adjumenta consequendum misericordiam Dei imploramus. Precationis veró fructus effectusque si requiratur, innumerabilia vel potius admirabilia exempla testabuntur, quantum precibus hominum non fucatis neque simulatis, sed illa interiore animi conversione & pœnitentia septis & comitatis delectetur Deus: quàmque istius adorationis cultu moveatur ad immensa hominibus beneficia conferendum. Etenim quam vim Moyses oratio illa adversus Amalecitas habuit? Moyses prælii tempore Aharone & Hure comitatus in vertice môtis tantisper dum supplices manus pro Hebræis orans attolleret, Hebræi vincebāt, simulatque demitteret, vincebātur: At cùm Moyses & manibus & reliquo corpore debilitatus ægré staret, Aharon & Hur lapidem in quo assideret, supposuerunt, assidentisque manus, alter dextram, alter sinistram ad solis occasum sustinuerunt;

inter  
inter  
mon  
vit,  
hova  
per t  
ange  
ribis  
lia ho  
est. S  
loco  
runt,  
ante  
mon  
21. u  
tenti  
& ve  
thron  
da &  
bene  
tiend

Ca

Fl  
fol  
tem s  
Tu D

stiterunt, dum Iosua duce Hebræi Amalecitas  
 internecone delerēt: tūmq̄ue Iehova Mosi hoc  
 monumentum posteritati prodendum manda-  
 vit, Mosēsque altare ædificavit, inscripsitque (Ie-  
 hova vexillum meum) ac dixit manum esse su-  
 per thronum Dei. Sic 2. Reg. ad Ezechia preces  
 angelus domini adversus blasphemias Senache-  
 ribis una nocte necavit centum octoginta mil-  
 lia hostium, & Senacherib ipse à liberis necatus  
 est. Sic Iosua 10. 13. ad Iosua preces sol & luna  
 loco immobiles restiterunt, diemque produxe-  
 runt, dum hostes debellarentur. Neque talis vel  
 antea, vel postea dies illuxit. Lunaticorum dæ-  
 monia oratione & jejunio ejiciuntur 17. Matth.  
 21. ut optimo jure precatio in humanæ vitæ con-  
 tentionibus & periculis quasi signum quoddam  
 & vexillum piis omnibus sublatum, ex illoque  
 throno Dei manus potentiaque ideo expeten-  
 da & imploranda, modus denique divinorum  
 beneficiorum una veræ precatiois mensura me-  
 tiendus esse videatur.

*Cap. 2. Quòd precatio sit donum Dei, quòd-  
 que per Dei gloriam Hebræis, per Chri-  
 stum Christianis sit infor-  
 mata.*

**F**IDES est donum Dei. Fidei prima actio in  
 obedientia legis, est donum Dei. Precatio i-  
 tem secunda fidei actio donum quoque Dei est.  
 Tu Deus revelasti in aurem servi tui, propterea

invenit servus tuus cor suum, ut oraret, 2. Sam. 7. 17. Sed idem disertius Rom. 8. 26. Itidem autem etiam spiritus vna sublevat infirmitates nostras: Quid enim precemur ut oportet, nescim<sup>9</sup>, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quare prima precatationis causa Deus est, qui nos per spiritum suum tanquam manu ducit ad precandum, imò verò adhortatur ad impetrationis confidentiam, Psalm. 145. 18. Prope est dominus invocantibus se, invocantibus in veritate. Marc. 11. 24. Propterea dico vobis omnia quæcunque precantes petitis, credite quòd accipietis. Matth. 21. 22. Quæcunque precando petieritis, si credideritis, accipietis. Itaque precatationis impetrandæ fundamentum est fides, ut in leproso, centurione, Regulo, cæcis, 8. & 9, cap. Matth. & in reliquis, Hebr. 4. 16. Accedim<sup>9</sup> igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut assequamur misericordiam & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium. Verumenimvero orandi atque adeo certa spe fiduciaque exorandi sui author homini Deus est, nec precatationis sollicitudinem tantum excitat in nobis, & confirmat, sed tanquã persuadendæ atque impetrandæ postulationis medium atque argumentum suppeditat. Qualis olim fuit Hebræis Dei ipsi<sup>9</sup> gloria, pactique cū patrib. fœderis misericordia: Christianis autem est Christus verus & Deus & homo, per quem divinæ & gloriæ & misericordiæ mundo splendor apparuit. Etenim sic Hebræis iratum Deum propter aurei vituli idololatriam  
per

per D  
& pla  
cet fu  
ra Ag  
ut qu  
eos, u  
eos in  
& pœ  
Abra  
iurast  
men v  
quam  
cipien  
malo,  
catio r  
altera  
lebum  
raq; re  
us, pp  
deinc.  
duxist  
ac dic  
tu ô Ie  
culo a  
tua sta  
ante ec  
tamen  
Ar dice  
dum: C  
lum ist  
in dese

per Dei gloriã & misericordiam Moses precatur  
 & placat 3. Exod. 11. Ut quid ô Iehova exardescet  
 furor tuus in populũ tuum quẽ eduxisti é terra  
 Ægypti in fortitudine magna & manu fortis  
 ut quid omnino dicẽt Ægyptii? Malitiosẽ eduxit  
 eos, ut occideret eos in motibus, utq; cõsumeret  
 eos in supficie terræ: cõvertere ab ira furoris tui,  
 & pœniteat te sup malo populi tui. Recordare  
 Abrahami, Isaaci & Israelis servorũ tuorũ, quib.  
 iurasti per te ipsum, & dixisti eis: Multiplicabo se-  
 men vestrũ sicut stellas cœli: & totã terram istã,  
 quam dixi, dabo semini vestro, & hæreditatẽ ac-  
 cipient illã in sęculũ. Et pœnituit Iehovam super  
 malo, qđ dixerat se facturũ populo suo. Hęc pre-  
 catio repetitur 9. Deut. 25. & deinceps: qualis &  
 altera est illa Mosis deprecatio p̄ Hebręis, q̄ Cha-  
 lebum & Iosuã veros Palestinæ exploratores ve-  
 raq; renũciantes lapidare cogitaverãt, ut eos De-  
 us p̄pterea pditurus esset. Tũ (ut est 14. Nũ. 13. &  
 deinc.) Moses ad Iehovã, & audiẽt Ægyptii (nã e-  
 duxisti fortitudine tua populũ jstũ é medio ejus)  
 ac dicẽt sup habitatorẽ terrę huj⁹, q̄ audierint q̄  
 tu ô Iehova eras in medio populi isti⁹: quódq; o-  
 culo ad oculum apparebas tu ô Iehova, & nubes  
 tua staret sup eos, & in colũna nubis ambulabas  
 ante eos interdiu, & in columna ignis noctu. Et  
 tamen mori feceris populũ istũ tanq̄ virum unũ:  
 At dicent gentes quę audierint famã in hunc mo-  
 dum: Quia nõ potuit Iehova introducere popu-  
 lum istũ in terrã, de qua juraverat eis, occidit eos  
 in deserto: Nunc igitur magnificetur (obsecro)

fortitudo domini, quemadmodum loquutus es dicendo: Iehova tardus ad iram & multus misericordia, remittens iniquitatem & prævencionem, & tamen mundando non mundat, visitans iniquitatem patrum super filios in tertiâ & quartam generatiõem. Parce (obsecro) iniquitati populi hujus secundum magnitudinem misericordiae tuae: & quemadmodum pepercisti populo isti ab Ægypto hætenus. Et dixit Iehova: Peperciscundum verbum tuum. Hæc igitur exempla sunt Hebræis orandi Dei per ipsius gloriam & misericordiam: Christianis autem est per Christum, paternæ & gloriæ & misericordiae lumen clarissimum, primogenitum patri charissimum, & adoptionis filiis seu fratribus propterea indulgentiorem & placatiorem patronum. Sic igitur Christus ipse 1 4. Ioan. 1 3. Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciã, ut glorificetur pater meus. Item 1 6. Ioan. 2 4. Adhuc non petiistis quidquã in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium vestrum compleatur. Item 2. Cor. 1: 2 0. Omnes Dei promissiones in Christo sunt, etiam ipsum, Amen. Item 3. Eph. 1 2. In Christo habemus libertatem & accessum cum fiducia per fidem ipsi. Sic 1. Tim. 2. 5, Unus enim Deus, unus etiam mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus. Sic 1. Ioan. 2. 1. Quod si quis peccaverit, deprecator & sequester iustus apud patrem nobis est Iesus Christus. Sicut est 4. Act. Ecclesia precatur Deum per nomen sancti filii Iesu. Denique ut Ambrosius libro de Isaaco & anima: Christus os nostrum est

est, p  
per q  
nos p  
ctis  
etor.  
filius  
& dep  
tamq  
jungi  
(ut pa  
quam  
rem u  
rum I  
sti typ  
greder  
seque  
terea v  
vus pr  
invoc  
non cr  
quem  
que pr  
cris lit  
deprec  
vi pro  
pro M  
Hebre  
li (ut t  
human  
vinis le  
choan

est, per quod patri loquimur, oculus noster est, per quem videmus, dextra nostra est, per quam nos patri offerim<sup>9</sup>, quo nisi intercedēte, nec sanctis ullis quidquā cum Deo est. Hæc sanctus doctor. Hic igitur est familias primogenit<sup>9</sup> herilis filius pro adoptivis fratribus apud patrē orator & deprecator assiduus, & quidem tam assiduus, tamque perpetuus ut comitem sibi vel sociū adjungere neminē patiatur, & quo nisi intercedente (ut paulo antē Ambrosius) nec sanctis ullis quicquam cum Deo est. Etenim Christū deprecatorem unicum apud patrem nobis pro nobis futurum Hebræorū sacerdos summus venturi Christi typus ostenderat, cū in sanctuarium sol<sup>9</sup> ingrederetur. Christus igitur solus conciliator & sequester est Dei atque hominū, nec ullus præterea vel angelus vel homo seu mortuus, seu vivus pro deprecatore apud Deum hominibus est invocādus. Quomodo enim invocabunt in quē non crediderunt? quomodo autem credent ei, quem non audierunt? quomodo audierint absque prædicante? Rom. 10. 14. Atqui fides in sacris literis nulla est, qua vel angelus vel homo pro deprecatore invocetur. Homines tamen alii vivi pro vivis hominibus aliis precātur. Sic Moses pro Maria sorore, pro Aharone, pro fratre, pro Hebræis oravit. Sic Samuel pro Saule, sic apostoli (ut totis epistolis apparet) oraverūt. Istāq; sunt humane charitatis erga homines cōgruāque divinis legibus officia. Quamobrē precationis inchoandæ & tanq̄ justificandæ medium atque ar

gumentum est Deus, totaque logica problema-  
tis hujus & movendi & disputandi & perorandi  
atq; concludendi logica Dei est. Quinetiã gram-  
matica Dei est qui velut infantibus voce ac ver-  
bis præt (ut mox dicitur) ad balbutiem linguæ  
nostræ & hæsitantiam informandum, ut pro no-  
stra parte talem precandi magistrum atque do-  
ctorem omni studio, sollicitudine, mente comi-  
temur. Hæ siquidem nostræ sunt partes. Sic (ut  
est 1. Reg. 18. 41.) cum Achabo regi Elias plu-  
viam pollicitus esset, quamvis de cõsilio Dei mi-  
nimé dubius, attamen prostratus in terram, fa-  
cièque genibus obvolutus supplicat & obtesta-  
tur, puerumque octies ad explorandum é mari  
nubem pluvie nuntiam dimittit, inspectaque  
nubecula veluti manus vola venturã pluvie ab-  
undantiã prædicat. Hac sollicitudine mulier Cha-  
nanæa veluti negligentem Christum importu-  
né urget 15. Matthæi 23. atque ita discipuli sui  
dormientem precibus suis exsuscitant, 8. Matth.  
25. Hæ (inquam) partes nostræ sunt ut converta-  
mur ad Deum, ipseque ad nos convertatur: cum  
enim conversus fueris ad Iehovam (ut est 30.  
Deu. 1.) tum reducet captivitatem tuam & mi-  
serebitur tui, & conversus congregabit te de cun-  
ctis populis ad quos disperferit te Iehova Deus  
tuus: imó veró dicamus potius cum Ieremia 31.  
18. Convertite me & convertar, quia tu es Ieho-  
va Deus meus. Postquam enim convertisti me,  
egi pœnitentiam, & postquam cognovi me ip-  
sum, percussi femur meum. Itaque ad precandú  
mens

men  
Chr  
crita  
App  
biis  
á me  
dum  
intue  
& qu  
jectu  
cati c  
ne &  
velut  
obres  
quest  
impe  
gnus  
Attan  
ris lan  
gnera  
mune  
volúta  
legis c

PR  
qu  
stus in  
tia, ang

mens imprimis conversa atque attenta sit, ne Christi illud audiamus 15. Matth. 7. 5. Hypocritæ bene de vobis prophetavit Iesaias dicens: Appropinquat ad me hic populus ore suo & labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me. Ad Christum itaque mediatorem recurrendum, ad Christi mortem refugium illud unicum intuendum, illuc aspirandum atque anhelandū, & quidem (quia qualibet vel inficiationis conjectura, vel jure facti apologia destituimur) peccati cōfessione & simplici deprecatione, quæ plenæ & justæ satisfactionis per crucifixum Christū velut instar & pondus habeat apud patrē. Quāobrem Christus noster apud Deū mediator, sequester, deprecator est, paterq; ideo est qui nos impellit ad deprecandum, pater est, qui nobis pignus in filio munusque largitur ad impetrandū. Attamen ista impulsione, ista pignoris & muneris largitione nos impellimur cum ipsum oppigneratorem & muneratorem suis pignoribus & muneribus oppigneramur & muneramur, pro volūtariis & liberalibus accipimur, proque justis legis observatoribus & cultoribus habemur.

*Cap. 3. De Formula precationis & ejus  
divisione.*

PRECANDI verò formula singularis ea est, quam discipulis rogantibus magister ipse Christus instituit. Christus (inquā) æterna Dei sapientia, angelusque magni cōsilio, Iesa. 9. Quæ nobis

doctorem pater attribuit, ipsum (ait Luc. II. 25.)  
audite. Formula precatationis sic est Matt. 6. 9. &  
deinceps. & Luc. I I. 2.

*PATER noster qui es in cœlis, sanctificetur no-  
men tuum. Adveniat regnum tuum: Fiat volun-  
tas tua sicut in cœlo, etiam in terra: panem nostrum  
quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis debita  
nostra, sicut etiam nos remittimus debitoribus no-  
stris: & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos  
à malo: Quia tuum est regnum, tua potentia & glo-  
ria in secula. Amen.*

HÆC Christiana precatio est, in qua precandi  
causas omnes animadvertere notaréque pos-  
sumus efficientes, protinus in principio: materi-  
am autem & finem in singulis partibus, formam  
in tota ipsius precatationis conformatione & spe-  
cie. Itaque precatationis omnis affectio cum ad le-  
gi satisfaciendum referatur, ipsius quoque par-  
tes partibus legis quodammodo accomodatur:  
licet enim plenioris cujusdam ubertatis partes  
singulæ sint, attamen aliæ in alia legis mandata  
propensius incurrunt. Prima pars est de pietate  
erga Deum, secunda de benevolentia erga prox-  
imum. Ad gloriam itaque Dei quatuor primæ  
tabulæ mandatis sua primum observantia pie-  
tasque redditur. Agite dum, quia sic à patre exci-  
tamur ad precandum, precemur, atque ut apud  
poëtam heros ille

*Ingemit & duplices tendens ad sidera palmas  
Talia voce refert.*

Sic ad orandum Deum quisque compositus ge-  
mente

men  
dup  
nos

P A  
pr  
datu  
cœle

T

origi  
est. 6

ham

tu ta

ster:

igitu

ctor

23.

tis in

lis est

trem

mus:

to C

adop

loan.

credu

ipfi q

mus,

mur,

mente animo, genibus flexis, manibus sursum duplicatis, talia voce Christi præeunte vocibus nostris referamus.

Cap. 4. *Quòd initio Deus adoretur secundum 1. & 2. legem.*

**P**ATER *noster qui es in cælis.*] Initio dominicæ præcatiõis cultus prima, secundaque lege mandatus exhibetur, cum patrem nostrum & patrem cælestem profiteamur & prædicamus.

*Pater*] Deus pater piorum, & pii filii Dei ab origine mundi per adoptionem, ut prædictum est. 63. Esa. 16. Tu pater noster es, etiam si Abrahamus nesciat nos, & Israel non agnoscat nos: tu tamen Iehova pater noster, redemptor noster: a seculo est nomen tuum. Et 64. Esa. 8. Nunc igitur Iehova pater noster es, nos lutum, & tu factus noster, opusque manus tuæ omnes nos. Sic 23. Matth. 9. Patrem vestrum neminem vocatis in terra: unus est enim pater vester, qui in cælis est. Sedenim patrem in symbolo, Dei filii patrem ad primam trinitatis personam intelleximus: Hic verò etiam nostrum patrem ex mandato Christi appellamus, cum per Christum filii adoptionis (ut illic dictum est) facti simus. Et sic Ioan. 1. i 2. dicitur datam esse potestatem illis, qui credunt in nomen unigeniti filii Dei, ut filii Dei ipsi quoque fiant. Patrem igitur cum nominamus, omnes charitates uno nomine complectimur, & quidem charitates humanis charitatibus.

infinite pleniore: & Matt. ait 7. Si vos cum mali sitis, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui in caelis est? Quod idem & Ies. 49. Potest ne mater oblivisci filiorum? & si obliviscatur, ego tamen non obliviscar. Ergo pater noster hic appellatur, pater ille (ut est 2. Cor. 1.) misericordiarum & totius consolationis Deus: pater qui vel prodigum filium redeuntem eminus agnoscit, ultro occurrit, consolatur, in gratiam recipit, ut est Luc. 15. 12.

*Noster*] Hic precationis communio significatur, ut non pro me solo precer, sed omnes fratres pro fratribus omnibus, totaque Christi familia mutuo charitatis affectu preceamur. Sic *pater nem nostrum, Nobis, Nostra, Remittimus, Nostris, Nos* plurali numero tota precatione proferuntur. Atque hic sanctorum communio nimirum illa (de qua est in symbolo) praecipue comprehenditur. Pro nobis tamen etiam privatim, & pro certis amicis precari liceat. Quare pater noster, qui nos e limo terrae procreasti, qui nos anima tuae divinitatis particeps animasti, qui mundum universaque toto mundo procreasti, qui solus regis & gubernas, Deus es unus & solus per omnia in aeternum.

*Qui es in caelis.*] Patris nostri nomine misericordia Dei erga homines benedicitur & laudatur, at patris caelestis appellatione omnipotentia Dei summa & admirabilis commemoratur & celebratur. Etenim Deus in omnibus mundi partibus habitat: Nam caelum Dei sedes est, & terra

scabel-

scabellū pedum ejus. Ies. 66. & creator rector-  
 que cœli & terræ definitus est in symbolo: non  
 quod Deus cœlo tanquam loco aliquo circun-  
 scribatur. Deus Mosi apparuit inter diu in colū-  
 na nubis, noctu in columna ignis, 13. Exod. 21.  
 22. Aliās sese angeli specie patrib<sup>9</sup>, aliis etiā mo-  
 dis sese prophetis exhibuit. Attamen cœlum est  
 velut ordinarium Dei palatium vel templū. Do-  
 mini in cœlis solium est, oculi ejus vident, palpe-  
 bræ ejus probant filios hominum, Psal. 115. 16.  
 Huc igitur respicit psalter Psal. 25. 1. Ad te le-  
 vi animam meam. Sic Tertull. ad Praxeam. Sci-  
 mus Deum etiā intra abyssos esse, & ubique con-  
 sistere, sed vi & potestate: filium quoque & indi-  
 viduum cum ipso ubique tamen in ipsa *ὀκονομία*  
 pater voluit in terris haberi: se verò in cœlo, quo  
 ipse filius suspiciens & orabat & postulabat a pa-  
 tre, quò & nos erectos docebat orare, ut antea  
 jam citatum est, *Pater noster qui es in cœlis*, cum  
 sit etiam ubique. Hanc verò cœlestem Dei sedē  
 etiam gentium philosophi crediderunt. Aristot-  
 eles etsi in natura divina errans & vagus, att-  
 amen 10. cap. 8. phy. ait primum movens esse in  
 mundi centro aut in peripheria, quia duo illa ro-  
 tundi principia sunt, in summa autē mūdi superfi-  
 cie potius esse, quia illic sit motus velocissim<sup>9</sup>. Et  
 3. cap. 1. de cœlo repetit cōsensu gentiū supremū  
 mūdi locū attributū esse Deo. Ergo in cœlo De<sup>9</sup>  
 habitare dicit, ubi p̄cipua Dei gloria nobis appa-  
 reat. Atq; in cœlesti folio habitat: unde (sicut ho-  
 mines solēt ex altiorib. speculis eminus intueri)

universæ terræ homines velut aspiciat: vel potius in cœlesti folio habitat Deus, ut sursum intuentes homines in quacunq; parte mundi habitent, patris sui majestatem suspiciant. Nam (ut inquit poëta)

*Cœlum undique sursum.*

Itaque Stoici cum mundum unam civitatem esse deorum atque hominum, hominésque deorum agnatione & gente teneri opinarentur, differere divina providentia (cum cæteræ animantes abjectæ essent ad partem) solum hominem erigi, & ad cœli quasi cognationis domiciliique pristini aspectum excitari. Contemplationis igitur illius gratia Deus erexit hominem. Ovid. 1. Met.

*Pronâq; dum spectent animalia cætera terram,  
Os homini sublime dedit, cælumq; videre  
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Illinc satus & decursus est animorum nostrorû, illuc aspiratio & recursus. Patrem igitur nostrû in cœlis esse credimus, unde in medium nostri intuens habeatur & omnipotens, & maximus & adversariis terribilis, ne propterea quicquam extimescamus, ut est Deuteronomii 7. 21. Denique nomê Dei arx est inexpugnabilis: ad eam confugiet justus & servabitur Proverb. 8. 10. Quamobrem isto precationis capite, primæ secundæque legis cultum testificamur. *Ego Jehova Deus tuus: non habebis deos alienos coram me* (ait Jehova.) At nos divinis mandatis audientes acclamamus: *Pater noster qui es in cœlis.*

Cap.

Cap. 5. *De sanctificatione divini nominis ad legem 3.*

SANCTIFICETUR *nomen tuum.*] Proximo scapite veneratio fuit cœlestis patris: sequitur precatio ad tertiæ legis venerationem, ut Dei nomen sanctificetur: Iusjurandum enim ad sanctificandum nomen famamque Dei tertia lege relatam est, & quidem nominatim ex ipsius adjurandi formula. Da gloriam Deo: Neque veró in terris principes hominum regesque honorem sui nominis, majorem commenti sunt, quàm ut judiciorum religio jurejurando per ipsorum nomina sanciretur. Hinc illa Cæsari à Romanis idololatria.

*Jurandasq; tuum per nomen ponimus aras*

Ergo ô Iehova in omnibus affectionibus & judiciis appellatio tui nominis sacrosancta habetur, sancteque ac religiosè tuum nomen assumatur: Neque tantum pro jurisjurandi pietate, sed pro mirificis operibus, imò pro infinitis virtutibus divinæ majestatis fama per omnes gentes nationesque prædicetur & celebretur. Hæc Mosi precatio atque hoc votum est, 11. Num. 28. 29. ubi Iosua ægré fert quòd Eldatus & Medabus prophetent, cum Moses solus antea prophetaret: Domine mi (Moses ait) prohibe eos: cui respondit Moses, Nunquid mea causa invidus es? Atqui utinam universus populus Iehovæ propheta esset, eumque spiritus sui participationem Iehova efficeret. Precatur igitur & optat

Moses, ut omnes Hebræi, propheta Dei sint, deiq̄ue nomen & gloriam prophetiis suis glorificent. Sic in mediis afflictionibus Iobus cum scidisset pallium, totondisset caput, corruens in terram adoravit, ac dixit, Nudus egressus sum ex utero matris, & nudus revertar illuc: Iehova dedit & Iehova abstulit, sit nomen Iehovæ benedictum. Sic Ies. 6. Seraphim clamant Sanctus, sanctus, sanctus Iehova exercituum, plena est omnis terra gloria tua. Sic David, Secundum nomen tuum Domine, sic laus tua in omnes fines terræ, Psal. 48. Item, Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero super lectum strati mei, si dederò somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem, donec invenero locum Iehovæ, Psal. 132. Hic Psaltes sibi velut malum imprecatur si usquam non laudet & sanctificet dominum. Item, A solis ortu usque ad occasum laudetur nomen Domini, Psal. 134. Item 17. capite Ioan. Hæc locutus Iesus sustulit oculos in cælum, dixitque, Pater venit hora illa: glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Omnes mortales mundum mundique partes universas ante oculos habent, imò verò ipsi (ut est Psal. 139.) Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Item Psal. 97. Annuntient cæli iustitiam eius, & videant omnes populi gloriam eius. Currus denique Ezechielis ille (de quo diximus) Cherubinibus quadrifrontibus incredibili duplicium rotarum pernecitate per omnes mundi plagas volitat, Deumque

maje-

maje  
mun  
sensu  
lis in  
miral  
tur,  
soph  
ut De  
perta  
tur, c  
imò v  
tegra  
Chri  
vestra  
rifice  
cùm n  
ta est  
bus p  
turba  
tes, é  
cæcis  
lis. Ie  
Dei n  
ipsur  
dum  
laude  
stat  
vellat

majestatis & gloriæ vel sole clariorem uniuerso mundo ostentat: At ut hebetes mortalium sunt sensus, pauci tantum splendorem intentis oculis intuentur. Pauci architectum tantæ tamque mirabilis machinæ pro sua dignitate admirantur, hæc Philosophia perpaucorum est Philosophorum. Itaque tertia precationis pietas est, ut Dei gloria omnium hominum mentibus aperta & perspicua sit, immensa bonitas agnoscat, omniumque populorum literis & linguis, imò verò sanctis moribus, atque innocente integraq; vita celebretur & adoretur. Id enim Christus ꝑ. Matth. 16. concionatur. Sic luceant vestræ actiones bonæ coram hominibus, ut glorificent patrem vestrum qui in cælo est. ꝑ. Mat. cùm turba paralyticum sanatum vidisset, mirata est, & glorificavit Deum, qui talem hominibus potestatem dedisset. Item 16. Matth. 31. turba mirata est, cùm videret e mutis loquentes, e mancis integros, e claudis ambulantes, e cæcis videntes fieri, & glorificavit Deum Israelis. Id igitur est nomen Dei sanctificari, ut cùm Dei nomen per se sanctum sit, jurisjurandi per ipsum religione ipsius sancta in omnibus laudum generibus celebratione & admiratione laudetur & colatur: & contra quicquid obstat huic sanctificationi passim & vbique auellatur.

Cap. 6. De regno Dei, meròque in mundum imperio ad legem 4.

AD-

ADVENIAT *regnum tuum*] Duplex precatio  
 Adoratioque sequens & proxima ad quartum  
 primæ tabulæ mandatum propius attinet, cum  
 non jam singuli vel Deum venerantur vel ex-  
 erantur idola, vel in nomine Dei veritatem san-  
 ctæ tuentur: sed cum universi conveniunt Sab-  
 bathino tempore ad tributa non frugum & cor-  
 porum tantum, sed animorum expendendum,  
 ad regalis obedientiæ fidem honorémque pro-  
 fitendum. Divinum siquidem & cœleste regnum  
 imprimis agnoscitur, cum terrenis studiis  
 & laboribus omissis tota mente immensa Dei  
 beneficia à suis beneficiariis prædicantur, festa-  
 que lætitia & gratulatione celebrantur. Sabba-  
 thum Iehovæ in veteri testamento, dies Domi-  
 ni in novo appellatur, tanquam sex anteceden-  
 tes dies sint hominum, septimus sit proprius Ie-  
 hovæ propriusque Dei: ideoque tali die præci-  
 pue regnet Deus. Itaque cum precamur, ut Dei  
 regnum adveniat, precamur ut sabbathi sancti-  
 tas observetur, vel potius, ut omnibus locis ac  
 temporibus perpetuetur, ut probi & electi spiri-  
 tu sancto quotidie magis ac magis illuminentur  
 & gubernentur, numeroque & sanctitate & do-  
 ctrina augeantur & multiplicentur: improbi con-  
 tra & obstinati affligantur & corrigantur, co-  
 rumque doli, fraudes, persuasiones perversæ &  
 impiæ exterminentur: neque potentia ulla Dei  
 potentia æquiparetur: regnum denique pecca-  
 ti aboleatur, ut Dei regnum stabiliatur. Hoc enim  
 modo precamur, ne (quod Paulus prohibet, 6.  
 Rom.

Rom  
 corpo  
 ribus  
 ratis  
 etio,  
 piis ac  
 ut ma  
 regni  
 rar ar  
 va & c  
 bente  
 arca si  
 lia mi  
 regius  
 gnat (  
 Actor  
 berati  
 simul  
 lis con  
 nus tu  
 fieren  
 da ser  
 sermo  
 hoc ut  
 nome  
 cantur  
 regnu  
 rear. R  
 terrari  
 summi  
 scent, e

Rom. 12.) regnet peccatum in mortali nostro corpore: néve obediamus peccato in cupiditatibus corporis. Nam peccatum etsi in regeneratis non regnet, in his tamen ad peccandum affectio, propensioque habitat, perpetuaque ideo piis adversus peccati regnū lucta pugnaque est, ut maxima de causa precari atque optare divini regni adventum debeamus. Itaque cum cœperat arca proficisci, sic orabat Moses, Surge Iehova & dispergatur inimici tui, & fugiant odio habentes te à facie tua. Quando verò quiescebat arca sic orabat: Revertere Iehova ad decem millia millium Israelis. Itaque cum tali Dei regno regius Psaltes gratulatur Psal. 97. Dominus regnat (ait) exultet terra, latentur insulæ multæ. Actor. 4. talis precatio est Apostolorum pro liberatione Petri & Ioannis. Herodes (inquiunt) simul & Pilatus cum gentibus & populis Israelis convenerunt ad faciendum quæcunque manus tua & consilium tuum. prius decreverat ut fierent, & nunc domine aspice minas eorum, & da servis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum, manum tuam porrigendo in hoc ut sanatio & signa & prodigia edantur per nomen sancti filii tui Iesu. Sic (inquam) precantur Apostoli, ut regnet Deus in terris, utque regnum eius supra homines extet atque appareat. Regnum itaque Dei integrum fuerit, cum terrarū gentiumque omnium regna imperiaque summum illum regem atque imperatorē agnoscent, eiusque decretis & sanctionibus parebūt,

cum idola omnia tollentur, omnisque idolomania penitus evanescet, cum sanctum solius Domini tanquam presentis regis nomen in veritatis fidem in quavis testificatione appellabitur: imo vero tum demum regnum Dei nobilissimum & praestantissimum advenerit, cum extremo temporum iudicio corporibus assumptis vivi mortuique iudicabuntur: Tum enim absque murmure peccati absque rebellione carnis Deus regnabit & imperabit. Postquam vero subjecta fuerint ei omnia, tunc & ipse filius subicietur ei, qui subiecit ipsi omnia, ut Deus sit omnia in omnibus, 1. Corinth, 15. 28, Sic 22. Apoca. de extremo adventu domini apertius oratur: Etiam veni Domine Iesu. Itaque iudicii illius adventus hac precatione atque adoratione exoptatur.

*Fiat voluntas tua.*] Haec optatio precationi superiori velut interpret obsecundat. Regnum tuum adveniat, atque ita ut fiat voluntas sicut in caelo etiam in terra, utque omnes una consensione pietatis & conspiratione summi Dei voluntati obtemperent, pravisque cupiditatibus edomitae, toti Deo inserviant: cuius precationis exemplum, 1. Sam. 3. 18. de Helio cum Samuel iram Domini nuntiaret, Dominus Deus est (ait) faciat quod sibi bonum videatur. Item David, 2. Sam. 15. 26. Si dixerit Ichova non beneplacitum est mihi in te, ecce ego, faciat mihi quod bonum est in oculis suis. Itaque idem rogat, Psal. 143. Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus. Et 26. Matt. Christus ipse sic precatur:

atur:  
ame o  
pro fi  
tram  
rent,  
10. M  
culete  
fisse vi  
Pe  
Co  
N  
Co  
Regn  
nica fi  
Atqui  
exopt  
derati  
lunta  
regul  
la Pla  
Ju  
Facel  
quam  
habit  
Si  
sumr  
ac pi  
ange

tatur: Pater mi, si non potest hoc poculum abire  
 à me quin bibam, fiat voluntas tua. Itaque matri  
 pro filiis precāti, ut ipsorum alter ad Christi dex-  
 tram, alter ad sinistram in cœlesti regno sede-  
 rent, meritò responsum est: nescitis quid petatis,  
 10. Matth. 22. Quod idem satyricus ille tam lu-  
 culèter expressit, ut ex ipso Evangelii fonte hau-  
 disse videatur.

*Permites ipsis expendere numinibus, quid*

*Conveniat nobis, rebusq; sit utile nostris:*

*Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt dii,*

*Charior est illis homo quàm sibi.*

Regna plerumque magna sed violenta & tyran-  
 nica sunt, tyrannísq; illud tantum propositum est.

---- *Oderint dum metuant.*

Atqui hinc ingenua animi inductio persuasioque  
 exoptatur, ut desiderium quodlibet nostrum im-  
 moderatum & effrenatum coerceatur, divinaq; vo-  
 luntate, constanti nempe neq; usquam aberrante  
 regula dirigatur. Hæc vovendi & precandi regu-  
 la Platoni est in Alcibiade ex poeta nescio quo,

*Juppiter rex optima nobis & voventibus & non  
 voventibus tribuito:*

*Mala autem poscentibus abesse imperato.*

Facessat igitur ô Iehova nostra omnis voluntas tam  
 quam a nobis, ut tua una tanquam verè nostra  
 habitet in nobis.

*Sicut in cælo, etiam in terra.]* Hæc similitudo  
 summam erga Deum observantiam hominis,  
 ac pietatem complectitur. Divinæ ac cœlestes  
 angelorum & beatorum mentes pacatis ac sine

ulla diffensionis cujusquam repugnantia compositis votis, imó corporum cœlestium cursus ac recursus facultatésque omnes Deo morigeræ obsequentésque sunt. Benedicite Iehovæ angeli ejus fortes robore, facientes verbum ejus, ad obtemperandum voci verbi ejus, Psal. 103. 20. Sol & luna non solúm ratos & constantes suos motus peragunt, sed etiam si dominus velit (ut de Iosua prædictum est) cohibent. In terris robustissima hominum judicio & potentissima divina voluntati obediunt, Matth. 8. 28. de ventis ac tempestate sedatis admiratur populus. Qualis est iste (ait) cui venti, cuique mare obsequitur? Dæmones etiam contremiscunt, & Dei imperiis morem gerunt: omnia denique Dei manus regit ac temperat. Sed obedientia fidelior constantiorque apparet in cœlis, qui stationem & motum à Domino præfixum inviolabiliter servant. Attamen homines veluti cœlestes, & beatæ voluntates, nihil appetant, nihil concupiscant, nisi Deo gratum & jucundum: Denique homines terrenis cogitationibus licet obruti, attamen cœlestium angelorum beatarumque mentium vitam imitentur, qualis que in cœlo est motuum omnium harmonia, talis in hominum moribus constantia sit. Hæc enim similitudinis vis est: hoc erit nimirum domini sabbatum, in quo requiescit omnis caro, atque ante Domini faciem adoratum veniat. Ies. 66. Sabbatum enim beatis in cœlo Deum facie contemplantibus æternum illud erit. Quapropter qua-

quad  
ra De  
datis  
rum c  
ctific  
beatis  
honor

PA  
tab  
refertu  
ventio  
dem, s  
tatem,  
que en  
riam ta  
Dei ecc  
bus con  
latio pr  
nis siqu  
é farina  
Non sol  
corpori  
vestis ge  
tis vita,  
do videt  
Paupert  
ne dime

quadruplex ejusmodi precatio & invocatio vera Dei adoratio est quatuor primæ tabulæ mandatis definita, ut Deus damnato falsorum Deorum cultu solus adoretur, solus jurejurando sanctificetur, solus regnet, solusque ut ab angelis & beatis animis in cælo, sic ab hominibus in terra honoretur & colatur.

*Cap. 7. De panis precatione ad  
leges tabula 2.*

**PANEM**] Precationis pars altera ad secundam tabulam licet minus distinctè attamen re ipsa refertur de mutua charitate, & communi subventionem, adversus parentum contemptum, cædem, scortationem, furtum, perjurium, cupiditatem, ut sigillatim suo loco admonebitur. Neque enim hic propriè Deum ad Dei ipsius gloriam tantum precamur, ut antea, sed universæ Dei ecclesiæ singulisque ejus membris ac partibus contraria malis illis bona precamur. Postulatio prima ad totum corporis usum attinet: panis siquidem nomine, quamvis propriè pistum est farina alimentum sic appellatur, ut 4. Matt. 4. Non solo pane vivit homo, attamen frequenter corporis victus in potione & cibo, cultusque ac vestis genere quolibet, omniaque quibus corporis vita, & usus indiget, intelliguntur. Quomodo videtur Salomon loqui Proverbiorum 30. 8. Paupertatem & divitias ne des mihi: ale me pane dimensi mei, id est ad vitæ sustentationem

necessario, ut Rabini interpretantur. Hic igitur cum panis dimensi quotidiani seu quotidianæ (ut vulgus loquitur) portionis opponatur paupertati & divitiis tanquam vitiosis extremis medium laudabile, omnia ad corporis usum vitæque necessaria videntur nomine panis comprehendendi: imò locus hic dominicæ precationis videtur ex illo Salomonis loco deduci. Postulatio (inquam) prima ad corpus ita refertur: & ad animam etiam, sine qua corporis vita nulla esset, hactenus referri potest, ut necessaria ad regendam vitam prudentia panis etiam nomine comprehendatur. Itaque cum panem precatis, omnia bonorum humanæ vitæ necessariorum genera, quæ ad commodè vivendum pertinent, precaris: & panem generaliter ita poscimus, quia pater noster videt, qua specie panis nobis opus sit, antequam petamus. Atque hæc omnino Salomonis illa precatio est, Paupertatem & divitias ne des mihi: ale me pane dimensi mei, ne fortè satier & abnegem, dicamque quis est Iehova: & ne fortè efficiar pauper & furer, assumamque in vanum nomen Dei mei. Hic sapiens ostendit ex oppositis vitiis luxu & inopia panis quotidiani bona. Ex utroque autem extremo quæ mala gignantur etiam ethnici præclarè docuerunt. Plato namque divitias & paupertatem duas civitatis pestes esse prædicavit, & de utraque separatim oratores & Poetæ. In urbe creatur luxuries (ait Tullius) ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia

cia, unde omnia scelera & maleficia gignuntur. Atque hanc luxuriæ & rapacitatis copulam, conjunctionemque Poeta ille non minus egregie depinxit:

*Creverunt & opes & opum furiosa libido,  
Et cum possideant plurima, plura petunt.*

*Quarere ut absumant, absumpta requirere certat,  
Atque ipsæ vitius sunt alimenta vices.*

*Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,  
Quo plus sunt pota plus sitiuntur aqua.*

Ergo alterum quotidiani panis extremum tot flagitia adversus modestiam, patientiam, pudicitiam demonstrat. Quid inopiæ & paupertatis extremum alterum? quorum malorum occasio est? Ne furer (ait sapiens) assumamque in vanum nomen Dei mei. Itaque nullum furtum, nullum falsum testimonium, imo nullum facinus est tam periculosum, quo infirmos animos egestas non impellat.

*Currit mercator ad Indos;*

*Per mare pauperiem fugiens per saxa per ignes.*

Inquit Horat. 1. Ep. Denique quod ait alius ille:

*Paupertas inimica bonis est moribus.*

Hæc igitur inopiæ mala sunt permagna: & tamen opulentiæ periculum maius est, quam inopiæ. Itaque de adolescente opibus suis confiso ait Christus, 19. Matth. 24. Facilius est camelum per foramen acus trajicere quam divitem in regnum Dei introire. Nec ideo Menandri sententia illa non audienda;

*Καλῶς πένεσαι μάλλον ἢ πλετεῖν κακῶς.*

*Prestat honeste egere, quam turpiter abundare.*

Quare cum panem quotidianum nobis obtestamur, ingentium & vix credibilium malorum atheismi, idololatriæ, blasphemiarum, impietatis, quæ prima tabula damnantur: superbiæ, violentiæ, scortationis, rapinæ, mendacii, cupiditatis (quæ secundæ tabulæ legibus prohibentur) Illidem a nobis detestamur: Attamen ne opulentia per se fugienda, aut paupertas per se expetenda videatur: Audiamus Ecclesiasticum 13. 30. Divitiæ sunt ei bonæ in quo non est peccatum, & paupertas mala in ore impii. Itaque sicut ait ille,

*Rebus angustis animosus atque  
Fortis appare: sapienter idem  
Contrahes vento nimium secundo,  
Turgida vela.*

Sedenim quotidianus panis generaliter ita petitur & ante pastum actio gratiarum & benedictio adhibetur, 15. Matth. 36. Item 26. Matth. 26. 27. & post pastum 26. Matth. 30. Specialem tamen panem licet petere: Et quidem panem quo alitur corpus, cum Deus nobis & cibum de cælo, & potum e petra suppeditare possit, ut Hebræis in deserto & mannam & aquam suppeditavit. Cum Christus quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satiaverit, 14. Matth. 13. Item alio tempore septem panibus & quinque piscibus expleverit quatuor millia virorum, præter mulierum & puerorum turbam 15. Matth. 32. Dum aquam in vinum ad nuptias celebrandum converterit.

Panem

Panem (inquam) corporis petamus, cujus differentia differentibus populis magna fuit, ut Hebræis & Ægyptiis. Sicut 43. Genesis 31. 32. de Iosepho & fratribus ejus & Ægyptiis: apposuerunt illi panem seorsum, & illis seorsum: Ægyptiis quoque qui comedere solebāt cum eo seorsum, non enim possunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem, quia illud abominatio est Ægyptiis. Ergo differentia panis hīc manifesta est: & panis pro omni alimēto capitur. Sed & ipsis Hebræis ciborum magna differentia fuit: Ante diluuium cibus hominis fuit in herbis & fructibus arborum, 1. Genes. 29, & fructus arborum dicitur hominum cibus, 22. Deuteronomii 6. Deinde quorumvis animalium, 9. Genesios 3. Denique animalium genera pro mūdīs definita sunt in terrestribus bisulca & ruminantia: ex aquaticis habentia pinnulam & squammam, 11. Levit. 3. & 14. Deuteronomii 6. At lux novi fœderis umbras illas longē dispulit, totāque illa ciborum differentia Christianis abrogata est. Non enim quod ingreditur in os coinquinat hominem, 15. Matth. 11. Quin Paulus 1. Timoth. 4. hypocritas mendaces appellat, qui jubent abstinere a cibis, quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognoverint veritatem: Nam quidquid creavit Deus bonum est, nec quidquam rejiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur, 1. Timoth. 4. 4. Veruntamen bonum est non vesci carnibus, neque vinum bibere, neque quidquam ubi

frater tuus offenditur aut debilitatur. Rom. 14.  
 21. Item 1. Corinth. 8. 13. Quapropter Christianus panis hoc capite postulatur à Christianis quicumque nempe à Deo creatus sit, vt eo cum gratiarum actione vescamur: impiamque ideo superstitionē detestemur, quæ contra tam manifestum Dei verbum certos cibos certis diebus distinxerit, Paulinumque illud Roma. 14. 23. perpetuo recordemur: Quicquid ex fide non sit, peccatum esse. Panem tamen ita petamus, vt si Deus è cælo Mannam pluerit, ea contenti simus, neque ollas neque carnes Ægyptias appetamus, ne Deus coturnices pluat, quarum fœda in gluvie ingurgitati, miserè pereamus, ut heluones Hebræi periere, 11. Num. 6. Sed panis species reliquæ à Deo postulentur. Moses fructum terræ precatur, 26. Deutero. 15. Respice de habitaculis sanctitatis tuæ, è cælo benedic populo tuo Israeli & terræ, quam dedisti nobis, quemadmodum iurasti patribus nostris: terræ quæ fluit melle & lacte. Postulentur & reliqua corpori necessaria adjuncta. Pudet te tuæ nuditatis sicut Adamum Evamque puduit? vestimenta precare. Deus Adamo & Hevæ pelliceas vestes fecit, eosque vestivit, 3. Genes. 2. Idemque perfecit, ne Hebræorum vestes aut calcei in deserto per annos quadraginta attererentur, 29. Deut. Si morbo aliquo vexaris, remedium pete: sic enim petitur lepræ curatio, 8. Matth. Domine, si velis, potes me mundare. Tales preces sunt Centurionis, Reguli, Chananeæ pro ser-  
 vulo,

wulo, pro filio, pro filia. Si vires corporis defe-  
 cerint, clama cum Sansone: Domine Iehova me-  
 mento mei obsecro, & corrobora me obsecro  
 tātūm vice hac ô Deus, & sumāam ultionem unā  
 pro duobus oculis meis de Philistinis. Si desi-  
 derio prolis afficeris, Annæ preces imitare, 1. Sa-  
 mu. II. Iehova exercituum si respexeris afflictio-  
 nem ancillæ tuæ, recordatusq; fueris mei, neq;  
 fueris oblitus ancillæ tuę, sed dederis famulæ tuę  
 prolem masculam, tum dabo illū Iehovæ omni-  
 bus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet  
 super caput illius. Denique quod ad animæ pa-  
 nem attinet, si de infantia & imperitia conque-  
 reris, pete a Deo & precare eloquentiam & lapi-  
 entiam. Moses 4. Exod. 10. balbutiem causatur,  
 ne ad reges legationē obeat: Obsecro, Domine,  
 non sum facundus nec eloquens, sed lingua tar-  
 dus, & voce impeditus: At Iehova respōdet, Quis  
 fecit os hominis? aut quis creavit mutū & surdū?  
 videntem & cæcum? An non ego? Perge igitur,  
 & ero cum ore tuo, & docebo te quid loquare.  
 Itaque Deus alterum Aharonem oratorem nem-  
 pe prophetamq; te faciet. Tales sunt preces Sa-  
 lomonis, 1. Regum 3. præfecti populo multitu-  
 dine innumerabili atque infinito. Dabis (ait)  
 seruo tuo cor intelligens, ut iudicet populum  
 tuum, ut discernat inter bonū & malum. Deus  
 hac precatione delectatus, Salomoni dedit tan-  
 tam sapientiam, & intelligentiam, quanta in ho-  
 mine nec præteritis temporibus fuisset, nec con-  
 sequentibus esset futura. Atqui hoc ipsum Chri-

stus, 10. Matt. 18. ad discipulos concionatur: Accipiemini ad synedria & synagogas, ad reges & præfides, sed tum ne anxii sitis quomodo aut quid loquamini, Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Quamobrem panem corporis talem, panem etiam animæ talem precibus nostris precemur, & tamen hæc omnia cum precabimur, meminerimus precationis illius, *Fiat voluntas tua*, ut ea conditione vota & optata omnia regantur & concludantur. Sic 2. Corinthiorum 5. 12. 8. & 9. Hoc tibi dominum rogavi, ut secederet a me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea in infirmitate perficitur. Libentissimè igitur potius gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia Christi.

*Nostrum.*] Publicæ precationis argumentum id esse jam diximus, & certè publica fratrum quam privata & nostra causa ut liberalius & honestius, sic vehementius & ardentius precari nos deceat. Sic enim Moyses pro Hebræis, 32. Exod. 32. Nunc autem si remittas peccatum eorum: aut si non, dele me precor de libro tuo, quem scripsisti. Sic Paulus Romanor. 9. 3. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus. Itaque cum nostrum panem petimus, panem fratribus omnibus necessarium postulamus: ecclesiæ catholicæ panem precamur, nec mihi panem meum precor, sed nobis panem nostrum precamur. Rectè quæ Apostolus 1. Tim. 2. 1. Adhortor igitur primum omnium, ut fiant suppli-

supplicationes & preces, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in principatu collocatis, ut pacatam & tranquillam vitam degamus cum omni pietate & honestate. Nam hoc honestum & gratum est Deo servatori nostro, qui vult ut omnes serventur & ad cognitionem veritatis accedant. Principibus igitur magistratibus nostris tum politicis tum ecclesiasticis eloquentiam Aaronis, & sapientiam Salomonis optabimus. Politicis quidem imperatoribus ac regibus, ut agnoscant Christum dominum dominantium & regem regum, 17. Apoc. 14. Item 19. Apoc. 16. Et ut inducant subditos sibi populos in eandem cognitionem Christi, cui data sit omnis potestas in cœlo & in terra, 28. Matth. 18. Ecclesiasticis autem pastoribus & ministris, ut sanctum Christi evangelium fratribus fideliter distribuant ac dispensent, & ut est 1. Pet. 2. pascant Dei gregem, cui præfecti sint, eumque observent non ingrati & inviti, sed voluntarii, neque sordido lucro, sed alacri promptoque animo adducti, neque velut imperantes cleris, sed ut exempla & lumina sui gregis, ut cum apparuerit ille pastorum princeps, nunquam atescentem gloriæ lauream coronamque consequantur. Deinde subditis & privatis fratribus omnibus suum panem precabimur, ut afflicti carcere, morbo, fame, exilio vel alia qualibet calamitate, per Dei misericordiam liberentur. Postremo etiam precabimur, ut impiis & infidelibus neque dum vera lu-

ce illuminatis divinæ gratiæ panis communicatur & participetur. Sic igitur cū panem nostrū pro nobis, pro regibus, pro pastoribus, pro fratribus, totaque sancta & catholica ecclesia precamur, etiam precemur pro cæcis & paganis, ut ad evangelii notitiam adducantur.

*Quotidianum da nobis hodie.* ] Quotidianum precamur, & hodie nobis dari, vel ut Luc. 11. 3. in diem, ut curiosior in crastinum sollicitudo ē Christianis animis eximatur, & meminerimus pro quotidiano pane, quotidianis precibus opus esse. Hæc enim precatio adversus cupiditatem 10. lege prohibitam præcipuè refertur. Itaque si pauper es, diarium paupertatis subsidium à Deo petito: si dives & abundans, attamen velut inops opum tuarum, benignum usum in diem orato, & cogitato plenas cellas, plenas arcas subito exinaniri, nisi manu domini custodiantur. Contra autem Levitic. 26. 26. Comeditis item & non saturabimini. Itaque nisi dominus cibum potumque benedictione sua asperserit, edentes tabescent fame, bibentes arelescent siti. Ezech. 4. 14. Panem igitur quotidianū quotidie petito & orato: sed sic quotidie petito, & orato, ut sudas, ut algeas, & sudore corporis & algore precationis tanquam pretium facias. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, 3. Gen. Sic igitur dominus populum suum quotidiana manna aluit in deserto, vetuitque primis quinque diebus plus colligi, quam cuique diei satis esset, sexto duplicari annonam iussit in sabbatum: idque

Idque fecit Deus ut tentaret an populus in lege Dei ambulaturus esset, 16. Exod. 4. 5. Atque interea demonstraret non solo pane hominem vivere, sed eo omni, quod egreditur ex ore Iehovæ, 8. Deuteronomii 3. Item 4. Matthæi 4. omninoque cupiditati frenos imponeret. Quamobrem panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne ultra præscriptum tuum immoderate quidquam appetamus vel concupiscamus. Sed enim cupiditatis stimulos vehementes & acres contra frenos istos caro subjicit, quosque ideo & paterna Dei bonitas retundit. Deus anno septimo sabbatum terræ imperaverat. Quod si dixeritis (ait Hebræis) Quid comedemus anno septimo? En non seremus, neque colligemus fructus nostros: tunc præcipiam benedictioni pro vobis anno sexto, & faciam fructum in tres annos, feretisque anno octavo, & comedetis vetus, 15. Levitic. 20. Sed hæc impostero solitudinis solutio & refutatio longè clarior & illustrior est apud Matthæum, ubi avaritia primùm cæcitas animi efficitur 6. cap. 25. Deinde 25. Propterea dico vobis ne solliciti sitis de anima vestra, quid edatis aut quid bibatis, neque de corpore vestro, quid induamini: nunquid anima pluris est quàm alimentum? & corpus quàm vestimentum? Intuemini in volucres cæli, quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & tamen pater cælestis eas alit, nonne vos ipsis præstantiores estis? Deinde ostēdit agrestium liliorum ornatum qualem

ne Salomon quidem in tota gloria habuerit, ut si agrestes stirpes sic à Deo vestiuntur, multò liberalius ab eo homines vestiendi sint. Itaque ô modicæ fidei (ait) ne anxii dicite, quid edemus, aut quid bibemus? aut quo vestiemur? Omnia enim hæc à gentibus exquiruntur: Novit enim pater vester cœlestis his omnibus vobis opus esse: Querite primò regnum Dei & iustitiam ejus, & hæc omnia vobis abundè sup peditabūt. Quare ne sitis anxii de crastino, crastinus enim dies anxietate sua augetur, sufficit diei anxietas sua. Quæ cum ita sint, iustissimis de causis precemur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Tum enim beatū illud extremis duobus intetjectum atque intermedium precabimur.

*Cap. 8. De Remissione peccatorum contra quamlibet legis partem commissorum: ubi de pœnitentia.*

**R**EMITTE nobis debita nostra. ] Precatione proxima præcipuè partus corporis postulatus est: secunda remissio peccatorum veniæque, id est, animi pabulum alimētumque postulatur. Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus fuerit integer, totum corpus tuum lucidum erit. Sin autem oculus tuus fuerit perversus, totū corpus tuum tenebrosus erit: Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? 6. Matthæi 12. Hanc evangelicam sententiam Satyricus sic expressit. Iuv. 10. Saty.

*Oratio*

*Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.*

Sanitas corporis pane quotidiano sustentatur, sanitas animi peccatorum remissione cōstituitur. Sæpe enim jam humanæ naturæ infirmitatem testati, vel potius detestati sumus: ut coram Deo hominem prorsus neminem, licet omnia quæ possit officia præstantem, perfectè justum propriaque justitia integrum fateamur. Itaque humanæ laudis aut virtutis prædicationem tribunal illud nullam recipit, deprecationem culpæ duntaxat admittit. Hinc August. lib. 9. confess. cap. 13. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Omnes enim peccaverunt, ideoque privatur gloria Dei, justificantur autem gratuita ipsius gratia per redemptionem in Christo Iesu, 3. Rom. 23. 24.

*Debita.*] Debita pro peccatis hîc intelliguntur tanquam peccatum sit æs alienum: peccatum vero quodlibet verè pœnitenti remittitur excepto in spiritum sanctum peccato, 12. Matth. 31. cùm nempe divinæ veritati quamvis penitus cognita & perspecta mala tamen mente maloque animo resistitur: quale peccatum fuit Phariseorum, qui filium Dei, quamvis ejus doctrinâ perspicere, attamen ut dæmoniacum insectabantur. In principe dæmoniorum (ajebant) ejicit dæmonia, Matth. 34. Quale item fuit magna ex parte peccatum Stephanum lapidatum 6. Act. 10. qui cùm non possent resistere sapientiæ & spiritui per eum loquenti, subornarunt testes, qui Stephanum adversus Deum & Mosem blasphem-

mias loquutum testarentur. Ac Paulus qui unum  
 Stephanum persequutus esset, misericordiam  
 tamen se consequutum affirmat, quia expers fi-  
 dei per ignorantiam peccasset, 1. Tim. 1. 13. Ut  
 inde planum sit nullum esse misericordie locum  
 apostatis, in quibus prudens incredulitas fue-  
 rit. Et sic qui semel spiritus sancti participes pro-  
 lapsi sunt, per pœnitentiam reuocari non pos-  
 sunt, ut qui rursus sibi metipsis crucifigant filium  
 Dei, & traducant 6. Heb. 4. Sedenim ad cogni-  
 ti peccati veniam & remissionem consequendũ  
 imprimis opus est pœnitentia non solum e cor-  
 dis afflictione & animi mœore (qualem vel de-  
 sperati ut Cainus & Saul ostenderunt) sed mul-  
 to magis cõuersione ad Deum tanq̃ verum pec-  
 cati medicum. Sic 2. Reg. 20. 1. Ezechie con-  
 uersio traditur. Sic apud Ionam 3. cap. 10. mor-  
 tis terrore percussi sunt Niniuitæ cum Ionas p-  
 clamasset: Adhuc quadraginta dies & Niniue  
 subuertetur. Crediderunt autẽ viri Niniuitæ Deo  
 & indixerunt ieiuniũ, & vestiti sunt saccis a ma-  
 ximo vsq; ad minimum, & peruenit verbum ad  
 Regẽ Niniues, & surrexit de folio suo, abiecitq;   
 vestimentũ suum a se, & indutus est sacco, & se-  
 dit in cinere: Et proclamare iussit ac dicere in Nĩ-  
 niue: Decreto regio & principum eius homines  
 & iumenta & pecudes ne gustent quidquã, ne-  
 que pascatur, neq; aquam bibãt, operianturque  
 saccis homines & iumenta, & clament ad Deum  
 vehementer, & conuertantur quisque a via sua  
 mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorũ.

Fortasse converteretur & pœnitentia ducetur Deus, averteturq; à furore irę suę, & nō peribimus: vidit autē Deus actiōes eorū, q̄ conversi essent à via sua mala, & pœnituit Deū mali, quod locut⁹ fuerat se facturū illis, & nō fecit. Hic igitur pœnitentię vades sunt jejuniū, saccus, cinis, qualia sunt in veteri testamento vadimonia pleraq; . Sed pœnitentię cōjunctū jejuniū sanctū piis omnibus semper fuit, arctior nēpe vict⁹ abstinētia cūm de quotidiano dimenso etiā frugali & sobrio tamē aliqd ad tēp⁹ detrahitur, ut naturę necessitati tantum cōsuletur, nihil indulgeatur voluptati. Moses in Sinaio mōte quadraginta & dies & noctes neque panē comedit, neque aquā bibit, 9. Deut. 10. 25. Jejunavit Elias item quadraginta & dies & noctes. 1. Reg. 19. 8. Jejunavit Christus quadraginta & dies & noctes 4. Mat. 2. Quam abstinentiā nulli patrū vel Hebręorū vel Christianorum sunt imitati. Hęc enim ad divinę vel gratię vel virtutis miraculū, non ad humanę imitatiōis exemplū proposita sunt, unde supersticio quadragessimę deprehēditur. Neque jejuniū est omnis vel temporis vel occasionis. Discipuli Ioannis interrogant: Quare nos & Pharisæi multū jejunamus, discipuli veró tui nō jejunāt? Et dixit eis Iesus. Non possunt filii thalami lugere, quādiu cū eis est spōsus: veniēt autē dies, quādo auferetur ab eis spōsus, tūmq; jejunabūt, 9. Matt. 14. Jejunium igitur cūm causa postulabit publica preter tim, precibus adjungetur, sed occultū sine ostentationis ulla vanitate 6. Matt. 16. Sic apostoli in  
mitten-

mittendis & creandis Dei ministris jejunant & precantur 13. Act. 2. 3. cum Paulus & Barnabas mittuntur. Item 14. Acto. 23. cum creantur seniores. Quamobrem ad peccatorum & debitorum remissionem impetrandum pœnitentia deprecatrix intercedito: propterea enim à Mose & prophetis, à Christo & apostolis una pœnitentia præcipuè prædicatur. Baptista quidem in novo fœdere hanc primùm prædicavit 3. Matth. 1. deinde Christus 4. Matth. 7. Pœnitentia est in variis scripturæ exemplis, sed insignis in oratione Manassis regis 2. Paral. 3. 12. Tu domine secundum multitudinem bonitatis tuæ promisti pœnitentiam & remissionem iis, qui peccaverunt tibi: & multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem. Tu igitur domine Deus justorum non posuisti pœnitentiam justis &c. sed posuisti pœnitentiam super me peccatorem, quoniã peccavi super arenam maris, &c. Quare peto rogans te, remitte mihi domine, remitte mihi, & ne simul perdas me, cum iniquitatibus meis: neque in æternum iratus reserves mala mihi, neque damnes me in intima terræ loca, quia tu es Deus, Deus inquam pœnitentium. Sic 18. Matth. 11. quam Deo grata sit pœnitentia & peccatoris conversio Christi explicat parabola centenarii gregis, unde ovis amissa & postea recuperata gratior sit domino nonaginta novem reliquis. Item 15. Luc. 4. parabola drachmæ repertæ. Sic igitur ad veniam peccatis impetrandum mulier peccatrix rigavit pœnitentię

nitentiæ lachrymis pedes Christi. Sic Petrus cùm ter abnegasset dominum, consimili pœnitentia amarè flevit 26. Matth. 75. Sic miser prodigus: Pater peccavi in cœlum & terram, nō sum dign⁹ vocari filius tuus, fac me sicut unū de mercenariis tuis. Sic publicanus cùm erubesceret oculos in cœlum tollere: pectus tundendo percutiendō que clamat: Domine propitius esto mihi peccatori. Hec cōfessio Deo facta verè Christiana est. Sic Psal. 32. Dixi confitebor cōtra me injustitiā meam domino, & tu remisisti iniquitatē peccati mei. Est item Christiana & illa qua jubet dominus Mat. 5. redire in gratiā cum offenso proximo. Confitemini invicem peccata vestra. Iacob. 5. Hæc verò cōfessio non est malefacti in aurem sacerdotis expositio, sed perversè malè que facti detestatio coram fratre, & quidem confessio mutua: & tamen tum pœnitentia tum confessio fide niti debet, secus desperatio fuerit: Peccavi (inquit) Pharisæis Iudas, prodito sanguine innoxio projectisque argenteis secessit, & sese strangulavit. Quæ cùm ita sint ubi debita pietatis in colendo Deo, in detestandis idolis, in sanctificando Dei nomine & sabbatho celebrando officia prætermisimus, cōfiteamur veraque pœnitentia affecti oremus: Remitte nobis cœlestis pastor debita nostra: ubi debitam erga parentes observantiam, erga fratres humanitatem, castitatem corporis, abstinentiam à rebus alienis, testimonii veritatem, mentis integritatem, cōtra quam debita charitatis officia postulabant, of-

fendimus, confiteamur & obsecremus: Remitte nobis cœlestis pater debita nostra. Quæ confessio, quæ pœnitentia cùm hoc capite præscribatur, vel ipsis Christi apostolis nō solum Christianis quibuslibet alijs: ut quotidie quandiu vixerint presentur: Remitte nobis debita nostra, intolerabilis hypocrisis & arrogantia fuerit hominem in hac mortali vita quenquam perfectum ac prorsus innocentem judicare.

*Nobis.*] Viventibus nempe, & qui modo loquētes precamur, & religionis ejusdē cōmunionē cōprehensis, imō etiā paganis & impiis, ut antea ex Paulo dictū est: sed vivētib. (inquā.) Nam pro mortuis à purgatorio liberandis neque hīc neq; in totis sacris literis ulla litera est: purgatorii cōmentū jam antea patuit, & purgatoriæ precationis cōmentū iam percipitur, quod sine fide hæc superstitio in ecclesiā Christi inducta sit.

*Sicut etiam nos remittimus debitoribus nostris.*] Comparatio hæc non est tota lege sed est charitate erga proximum ducitur, quam secunda tabula præcipue commendavit. Videtur tamen cōditio postulata remissionis tristis & severa. Etenim clementiam Dei & misericordiam implorare videmur, sed ea lege qua clementes erga proximum & misericordes sumus. At cōparatio ista quæ similitudinem videtur esse, & assimilare misericordiam humanam divinæ, disparium comparatio potius est, tanquā diceretur. Remitte nobis debita nostra, sicut etiam nos qui homines sumus à divinæ misericordiæ clementia longissimè sejuncti, remittimus

timus ex tuo mandato iis, a quibus offensus sumus, quia nobis non sis remissurus, nisi & nos remiserimus. Nam ut est 6. Mat. 14. item 18. 28. Si vos hominibus offensiones suas remittatis, pater etiam cœlestis vestras vobis remittet: ac nisi hominibus suas offensiones remiseritis, neque pater vobis vestras remittet. Debitoribus autem nostris remittendum non septies, sed septuagies, imò verò infinitè perpetuòque remittendum 18. Mat. 21. & deinceps respondetur, Misericordia enim Deo gratior est sacrificio, 9. Mat. 13. item 12. Mat. 7. item 23. Mat. 23. Mensuræque tibi cõmunis & eadem erit cum proximo 7. Mat. 1. 12. Denique beati misericordes, 5. Mat. 7. Quinetiam pro inimicis orandum hic erit. Sic Ierem. 29. iubet captivos Hebræos orare pro salute Babylonice civitatis. Quærite pacem civitatis ad quam ego vos transtuli, & orate pro ea ad dominum, quoniam in pace ejus erit pax vestra. Sic 5. Mat. 44. Orate pro iis, qui vos infestant & persequuntur vos. Sic Luc. 23. ipse Christus orat: Pater remitte eis, nesciunt enim quid faciunt. Sic Stephanus orat pro carnificibus suis: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Quare orare pro inimicis & iis benefacere, perfectio est cœlestis patris, cujus sol lucet super bonos & malos: & ideo illius imitationis exemplum proponitur 5. Math. 45. Neque verò homo homini propriè peccatum remittit, id enim solius Dei est, ait Ies. 43. & 9. Mat. 3. sed offensam sibi factã remittit ex illo mandato. Hac verò precatione quorundã

superborum & atrogantium vanitas vehementer arguitur, qui se gradu nobilitatis exauthoratos arbitrentur, nisi acceptam injuriam cede vel atrociori aliquo scelere ulciscantur: tanquã misericordia & acceptæ injuriæ vel contumeliæ remissio vitiositas quædam sit infamis & homine nobili aliena vel indigna. Atqui é Dei summis laudibus illa prima est & dominica precatione per Deum filium modó consecrata cum juberis precari, ut tibi culpa remittatur á Deo sicuti proximo remiseris. Itaque ultione in proximum, ultionem Dei in teipsum provocas.

*Cap. 9. De Tentatione ad 10. legem.*

**E**T *ne nos inducas in tentationem* ] Postrema precatio etiam animi est aduersus varias cupiditatum insidias, in quas animi quotidie incidunt, cum unusquisque tentatur dum á propria cupiditate abstrahitur & inescatur. 1. Iacob. 2. 14. Nihil est autem impotentius homine, nihil infirmius, simulatque manu Dei destitutus est. Quod in uno Petro inprimis apparet, cum sese ne mortis quidem periculo desertorem futurum prædicat 16. Matt. 22. & mox tamen á muliercula territus Christum abnegat 26. Matt. 33. Itaque varii sunt lapsus variæque tentationes, aliæ á rebus secundis & fortunæ (quæ dicuntur) bonis, quales extra sunt honores, clientelæ, opes: in corpore robur, forma, celeritas, valetudo firma, prosperæ res & secundæ: aliæ á contrariis malis,

malis, ut est egestas, ignominia, contemptus, deformitas, distortio, debilitas, res adversæ quibus utrisque deflectimus à recta virtutis via, ut flagitiosa cogitemus & concupiscamus, sæpe etiam agamus, nisi manu divina dirigamur. Fons enim contagionis illius naturalis perennem fluxum habet, nisi divina gratia cohibeatur. Cohibetur autem vigilia & oratione 26. Matth. 41. item occasionis fuga, & resistendi virtute atque affectionis sanitate, ut August. lib. 5. medit. Illi nimirum antea fuerunt oculi, illæ dextræ cupiditatum pravarum occasiones & flammæ, quas fugiendas Christus admonuit: illaque fuit Salomonis paulo antè adversus opulentiam & inopiam obtestatio. Viri etiam boni rebus adversis interdum franguntur, & ita Christus 26. Matth. 3. prædicat discipulis. Vos omnes offensionem patiemini in me ista nocte. Itaque precandum est, ne secundis rebus & ad votum prosperè fluentibus insolescamus, aut adversis temporibus affligamur ac prosternamur. Tentationes illæ à dextris sunt, à sinistris istæ, nec tamen tentationes omnes recusandæ. Quædam enim à Deo sunt ad pios experendum probandumque 13. Deut. 3. Non obedies verbis prophetæ illius, aut somniatori illi, quia tentat Iehova Deus vester vos, ut sciat, an diligatis Iehovam Deum vestrum toto corde vestro & tota anima vestra. Itaque ait Psaltes. Proba me Iehova, & tenta me, funde renes meos & cor meum, Psal. 26. 2. Sic tentavit Deus Abrahamum de immolando filio Isaaco, Gen. 22. 1. Beati qui

persecutionem patiuntur propter justitiã, quoniam ipsorum est regnum cælorum 5. Mat. 10. Sic nempe (ut apud poëtam heros ille)

*Per varios casus, per tot discrimina rerum*

*Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas  
Portendunt.*

Nec temerè dominus suos electos ignominia, paupertate, supplicio castigat, ut eorum constantiam & pietatem exerceat & probet: idque cum proventu. Tentatio enim piorum & afflictio est ipsorum probatio & confirmatio: sed tentatos & afflictos tandem Deus miseratur & consolatur, ut de Hebræis est 2. Exod. 23. 24. Item 3. Exod. 7. qui quanto magis affligebantur, tanto magis crecebant, & multiplicabantur, & Ægyptiis formidabiliores erant, 1. Exod. 12. Et Christus 4. Matth. 3. tentatur. Si filius Dei es, præcipita te é pinnis hujus templi, tanquam tali & metamorphosi & præcipitio divina virtus approbaretur. Postremo dabo tibi omnia regna mundi & gloriam eorum, si procidens adoraveris me. Atque iis tentationibus ut restitit Christus, sic resistendi exemplum suis præbuit. Sed tentationes illæ sinistrae sunt acriores, ut Christus licet Deus, attamen quia homo his etiam stimulis moveatur, cumque vel angelorum legiones duodecim posset opponere, attamen tristis est anima ejus usque ad mortem, & procidit in faciem suam orans ac dicens, Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, 26. Matthæi 38. Item, Deus meus, Deus meus, ut quid dereli-

dereliquisti me. 27. Mat. 46. Itaq; invocatiōe ista precamur ne Deus nos inducat in tentationem: id est, ne ope sua destitutos á diabolo tentari opprimique patiatur: ut enim fideles & electos suos tuetur & conservat Deus, sic improbos & impios destituit, & diabolicæ tyrannidi subijcit atque addicit. Divinæ siquidem animadversionis vindicta duplex est, modó cum gratiam detrahit, modó cum præcipitat in barathrum. Illud enim est apud Paulum: Tradi in perversum & improbum sensum: & apud prophetas occæcari & corde indurari, decimotertio Matthæi decimotertio. Videntes non vident, & audientes non audiunt, neque, intelligunt. Psal. 81. Actor. 28. Clauferunt oculos suos ne viderent: unde cum dicitur Deus indurare, excæcare & tradere in perversum sensum, intelligendum id est fieri justo Dei iudicio. Hinc Pharaonis induratio toties in Exodo & tot locis iterata. Quin idololatria (quæ ex omnibus peccatis odiosissima Deo est) ultionis divinæ species est, 28. Deuteronomii 36. Adducet Iehova te & regem tuum, quem constitues super te, ad gentem, quam non nosti tu & patres tui, colésque ibi deos alienos, lignum & lapidem. Item inter divinas maledictiones una fuit illa horribilis. Percutiet te Iehova amentia & cæcitate & stupore cordis, vigesimo octavo Deuteronomii vigesimo octavo. Postremo quotiescunque Deus aliquid mali in scriptura facte dicitur, aut videtur, non ideó dicitur quód

homo culpæ malum non faciat, sed quòd Deus malum pœnæ statuatur. Nec enim Deus vult iniquitatem, ut prædictum est. Sic Amos 5. ait nulum esse in civitate malum, quod Deus non faciat. Sic Augustinus in Enchir. ad Laurent. Miro modo (inquit) & ineffabili non fit præter voluntatem ejus, quod etiam fit contra voluntatem ejus, quia non fieret, si fieri non sineret: nec utique nolens finit, sed volens, nec sineret bonus fieri malé, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bené. Vides quàm anxie vir sanctus Paulinum illum *πεπραγμισμὸν* ratiocinetur.

*Sed libera nos á malo.*] Antapodosis est quæ ad illecebras cupiditatis, ejusque vitiosas inductiones refertur, ut omnino ad quamlibet mali, seu peccati speciem, ne ullis tentationibus dextris sinistrisve succumbamus vel obruamur. Sic Hebræi 10. Iud. 15. Peccavimus, fac tu nobis secundum quod bonum est in oculis tuis, tantum libera nos quæsumus die hac. Sic Ezechias rex 37. Esa. Et nunc Iehova Deus noster salvos fac nos de manu Senacheribis, ut cognoscant omnia regna terræ, quòd tu es Iehova solus. Sic 8. Matth. 25. Domine serva nos, perimus. Eripe me his invicte malis, inçlamat ille miser dominum suum. Quare agite: á domino longé potentiore & beneficentiore precemur: Libera nos á malo.

*Cap. 10. De Epilogo precationis ad Dei laudem.*

QVIA



positæ fructus est, quem omnes quacur que de re obtestationes & obsecrationes nostræ spectare debent.

*In sacula*] Sæculum Latinis spatium est centum annorum. Itaque multitudine sæculorum æternitas intelligitur. De hac voce dictum est ad finem symboli, quomodo etiam hîc accipitur, cûm precanti ministro, populus respondet, Amen: vel si quis solus precetur, addit hanc vocem, vel optationis vel asseverationis: tanquam fides certa sit Deum votis assensurum esse. Hæc igitur oratio dominica est: & (ut Tertul. ait) legitima: cûm cæteræ omnes ab ea discrepantes exleges sint & illicitæ: ut si quid aliis verbis, vel alia orationis forma quisquam precetur, ad regulam tamen & veritatem precationis hujus præces definire debeat.

*Cap. 11. De loco & tempore modoq; orationis.*

**S**ED enim de subjecto loco, ubi precandum, sed etiam adjuncto tempore, & modo quaesitum est. Deus olim in loco quem sibi delegisset, ut in tabernaculo & Hierosolymis in templo invocari voluit. Ideoque tabernaculum gloria Dei decoratum est: atque interdum nube, noctu, igne operiebatur. 40. Exo. 34. 38. & templum postea Hierosolymis pari majestate sanctificatum est. Cave tibi ne offeras holocausta in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Iehova

in una tribuum tuarum, ibi offeres holocausta tua, ibique facies omnia, quæ ego præcipio tibi, 12. Deut. 13. 14. Itaque Deus est propitiatorio inter Cherubinos loquebatur cum Mose. 7. Nume. 89. & deinceps illinc oracula petita sunt. Atque omnino antequam tabernaculum vel templum esset, sacer locus habebatur, ubi divina vis augustius appareret, 28. Gen. 16. Cùm autem expergefactus esset Iacobus à somno suo, dixit, verè est Iehova in loco isto, ego verò non noveram: timuit itaque ac dixit: Quam terribilis est locus iste! non est locus iste aliud quàm domus Dei, & ista est porta cœli. Veruntamen istã sacri loci cæremoniam Christus sustulit: Nam licet est templo ejiciat mercatores & citet illud: Domus mea, domus orationis vocabitur, 21. Matth. 12. & templi ruinam prædicet, 24. Mat. 2. & cum Samaritana de Garizimo monte, 4. Ioan. 20. 21. dixisset: Patres nostri in hoc môte adoraverunt, & vos dicitis Hierosolymis esse locum illum, ubi oporteat adorare, dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Item 23. vers. Sed venit hora & nunc est, cùm veri adoratores adorabunt patrem spiritu & veritate: etenim pater tales quærit, qui ipsum adorent. Sic 1. Timoth. 2. 8. Velim igitur viros precati in quovis loco puris manibus sublatis absque ira & contentione. Quare communem locum patet precibus accommodatum esse. Itaque secretioris & publicæ precationis

locus speciatim etiam descriptus. 6. Mat. 6. Tu veró cum precaris introito in conclave tuum, & clauso ostio precare patrem tuum, qui est in occulto, & pater tuus qui est in occulto reddet tibi in propatulo: Et Christus dimissa turba ascédit in montē solus ad orandū, 14. Mat. 23. De publico etiam communis precationis loco testis est Christus, Matth. 18. 19. Vbi enim sunt (ait) duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Sed enim temporis circumstantia, & generalis & specialis etiam precibus sua est. Omniprecatione & supplicatione, precantes omni tempore per spiritum, & in hoc ipsum invigilantes cum omni perseverantia & supplicatione pro omnibus sanctis. Ephes. 6. 18. Et tamen afflictionis tempus præcipuum precationi attributum est: Invoca me in die afflictionis & erua me, Psal. 50. 15. Quin publicis precibus certæ dierum etiam certorum horæ destinatae sunt. Atque hæc de loco precationis deque tempore. In modo autem precationis imprimis cor spectatur: oratio enim vel muta á Deo exauditur, ut cum mulier illa patiens fluxum dixisset apud se: Si solum tetigero vestimentum ejus, servabor: Iesus conversus & intuitus eam dixit. Confide filia, fides tua te servavit, 9. Mat. 21. Cor (inquam) imprimis spectatur, lingua tamen etiã precabitur, & quidem verbis non solum precanti, sed etiam in publica oratione ecclesiæ audientipopularibus & notis. Etenim ait Paulus, 1. Corinth. 14. 8. Si incertum sonum tuba dederit,


quis apparabitur ad bellum? ita & vos, nisi lingua bené significantem sermonem edideritis, quomodo intelligetur, quod dicitur? Item, Nisi igitur percepero vim vocis, ero loquenti barbarus, & loquens ipse barbarus vicissim mihi: deniq; idiota quomodo dicturus est (Amen) ad tuam gratiarum actionem? quoniam, quid dicas, nescit. Atque hoc Apostoli Evangelium mirabilem nescio cujus stuporis barbariem manifesté coarguit, in qua preces sermone precantibus incognito, id est, peregrino barbaroque peraguntur. Apostoli Evangelium sermone populari (id enim spiritus sancti donum in tam variis linguis cœleste fuit) populis omnibus prædicarunt, tùmque gentes omnes suis linguis præcatæ sunt: ut horribilem Christianæ religioni noctem obduxerint ii, qui primi Christianos externo & peregrino sermone precari coegerunt. Fenestram enim ad omnem impietatem & superstitionem aperuerunt, ut per has tenebras quidlibet in ecclesiam induceretur. Quare populari & familiari, omnibusque (si publicé oretur) fratribus audientibus noto sermone precandum est. Atque in ista precationis perspicuitate & intelligentia loquacitas imprimis fugienda est. Sic enim Christus 6. Matthæi 7. 8. Precantes ne sitis loquaces, ut Ethnici putant enim fore, ut loquacitate obtineant, ne igitur ipsis similes sitis: Et formula dominicæ precationis tam succincta, tamque brevis succinctam etiam in præcâdo brevitatem Deo pla-

cere comprobat. Comprobant & speciales pre-  
 cationes ad Christum factæ: Domine si vis, po-  
 tes me mundare, ait leprosus, 8. Matth. 2. Do-  
 mine, puer meus jacet domi paralyticus & ma-  
 létorquetur, ait Centurio, 8. Matth. 5. Domi-  
 ne serva nos, perimus 8. Matth. 25. Item ado-  
 rans princeps ille: Filia mea modó defuncta est,  
 Sed veni & impone manum tuam super eam, &  
 vivet, 9. Matth. 18. Misere nostri filii Davidis:  
 clamát cæci 9. Matth. 28. Domine serva me,  
 ait Petrus, 14. Matth. 30. quam brevitatem &  
 Christus orans patrem, sequutus est. Pater mi, si  
 possibile est transeat á me calix iste: Verumtamé  
 non sicut ego volo, sed sicut tu vis, 26. Matthæi  
 39. 42. Sedenim cor precatur, & cum corde con-  
 sentiens lingua perspicuoque sermone sensa  
 cordis exprimens precatur, imó veró etiá pre-  
 ces ipsas modulatur. Transmisso mari tubro, &  
 submersis Ægyptiis Moses cum universo Israele  
 cecinit canticum laudis Domino. Israelitides  
 autem Maria Mosis sorore canticum ipsum præ-  
 cinente tympanis & choris lætitiæ & gratula-  
 tionem eandem prosecutæ sunt, 15. Exod. Tres  
 juveues in fornace canticum cecinerunt. Pau-  
 lus in carcere laudes Deo cecinit. Atque é Pro-  
 phetis regius ille Deo charissimus hoc psallendi  
 canendi que nomine psaltes appellatus est.  
 Sic 21. Matt. 15. Pharisæis indignantibus, quód  
 pueri acclamarent, Hosanna, filio Davidis, re-  
 sponderet, ex ore infantium & lactentium perfe-  
 cisti laudem. Quid est igitur ait 1. Corinth. 14. 8

Paulus, precabor spiritualiter, precabor autem etiam intelligenter, psallam spiritualiter, sed psallam etiam intelligenter. Sic idem Coloss. 3. 16. Sermo Christi inhabitet in vobis abunde cum omni sapientia, ut doceatis & commonefaciatis vos ipsos psalmis & canticis spiritualibus cum gratia in corde vestro canentes Domino. Quid plura? Christus ipse cum discipulis post augustam illam cœnæ institutionem quid egit? cum hymnum cecinissent, exierunt in montem olearum, 26. Matth. 30. 14. Marc. 26. Itaque cantus in orientis ecclesiis perpetuus permansit, unde tardius in Europam & Africam venit: Nam sub Ambrosio in Mediolanensi ecclesia celebrari cœpit, ut August. lib. 9. confess. Tandem Europa occidentalis & Africa tantum in precibus susceperunt. Plinius tamen ad Trajanum scribit Christianos ante lucem solitos convenire, carmenque Christo secum invicem dicere. Flavianus episcopus Antiochenus & Diodymus symphoniam vocum canticis adiunxerant: Sed Augustinum (qui eam quoque permisisset ecclesiæ suæ) pœnituit, quia symphonia vocum Psalmi intelligentiam confunderet: in eoque Athanasii morem imprimis approbavit, qui jusserat psallentium vocem ita temperari, ut similiores essent recitanti, quam canenti. Atque hæc de cantus harmonia, quæ ad sanctitatem majestatis Dei, atque angelorum reverentiæ congruentem moderata ac temperata non solum sacris actionibus dignitatem conciliat, sed

ad excitandos ad verum precandi studium animos plurimum valet. Nihil est enim Musica potentius ad humanos animos permovendum: ut verissimé à Platone dictum sit immutatis in civitate canticis, civium quoque mores immutari. Quamobrem precibus nec locus ullus est ineptus, nec ullum tempus alienum, nec modus ullus, vel mentis, vel linguæ vel harmoniæ Deo gratus & acceptus deesse potest, ut omnibus & locis & temporibus & modis Deus orari atque exorari possit.

LIBRI TERTII DE PRE-  
CATIONE FINIS.



# PETRI RAMI

## COMMENTARIORUM,

DE CHRISTIANA RELI-  
gione, Liber quartus.

DE SACRAMENTO.

*CAP. I. Quid sit Sacramentum.*

**D**ICTVM est de fide, deque fidei  
actionibus in obedientia legis &  
precaatione : superest de Sacra-  
mento . Sacramentum est publi-  
ca fidei actio sensili signo , so-  
lemni que ritu ecclesie sue a Deo ad Christi mor-  
tem commemorandum , ejusque fructum par-  
ticipandum instituta . Deus enim statim ab ipso  
mundi initio , non solum doctrinam de generis  
humani per Christum reconciliatione propo-  
suit , sed caremonias quasdam publicas fidem  
promissionis & expectationem testificantes ad-  
junxit , ut sacrificia ab Adamo ad Abrahamum ;  
ab Abrahamo & Mose circumcisionem & Pas-  
cha , denique a Christo baptismum & cœnam  
ad consummationem mundi . Sacramenti verò  
nomine interdum omnes exercendæ pietatis  
caremonia ritusque vel rei sacræ spiritualisque  
notæ nominantur . Sic iris sacramentū fuit Noë

& ejus posteritati mundum diluvio nō amplius esse periturum. Sic horologium quindecim horis retrogradum, Ezechia regi longioris vitæ sacramentum fuit : at ordinarii sacramenti & in Christi gloriam, Christianæque ecclesiæ consolationem instituti, é rebus ipsis & suis in scripturalocis definitio ista comprehenditur . Itaque declaretur, & suis causis apertius exponatur. Sacramenti igitur efficiens atque author est Deus, qui sacramenta in veteri novoque testamento instituit, iisque promissionem salutis & gratiæ conjunxit, quam neque angelus, neque homo præstare potuisset . Itaque sacramenta á ministris tanquam Dei vicariis administrantur : ab hominibus institui non possunt, quia neque cœlestia præmia ab hominibus dari possunt, neque Deus pro hominum arbitrio, sed pro suo judicio colivult, ut Esaiæ 29 : Matthæi 15 . Materia hîc duplex est, altera in sensili & terrestri signo, gentibus omnibus ac populis familiari ac domestico, altera in re ipsa ac veritate cœlesti ac divina, per sensibile ac terrestre signum significata & demonstrata : externa illa & sensilis corpus, hæc interior, & intelligibilis animum afficit, atque utraqûe in Christiano veroque religionis Sacramento materiæ conjungitur . Prior autem illa terrestris nomine Sacramenti ferè appellatur, cum sacramentum definitur rei sacræ visibile signum, cum tamen sit sacramenti materia tantum, imò materiæ tantum pars altera, nec tamen Baptismus est aqua tantum; nec

hec cœna tantum panis & vinum, sed tota ex suis  
caussis omnibus professio, ut mox intelligitur.  
Materies igitur terrestres & nostris oculis sub-  
jecta est similitudo cœlestis & divinæ: Nam si  
sacramenta (ait Augustinus sacramentum pro  
materia illa terrestri accipiens) quandam simili-  
tudinem earum rerum quarum sacramenta sunt  
non haberent, utique sacramenta non essent: In  
iis (ait idem) aliud videtur, aliud intelligitur:  
quod videtur, speciem habet corporalem, quod  
intelligitur, fructum habet spirituales: mysti-  
cum denique signum hîc est velut symbolum  
conjugii, quo Christo sua vovetur & desponde-  
tur ecclesia, & in sanctam atque individua my-  
stici corporis copulam associatur. In speculis igitur  
istis terrestribus & ænigmatibus, imagines cœ-  
lestium & divinorum beneficiorum aspectabi-  
les proponuntur. Itaque (ait idem Augustinus)  
ut signa pro rebus, quæ significantur, accipere,  
servilis infirmitatis est, ita inutiliter signa inter-  
pretari, malè vagantis erroris est. Quare mate-  
ria sacramenti ita duplex est. Forma sacramenti  
solemni certæ speciei ritu eoque ex ipsa Dei in-  
stitutione repetito continetur: verbû enim Dei  
anima & forma est sacramenti, ut scholastici lo-  
quuntur. Ideoque in sacramento caremonia  
hæc eadem tenenda, verbæque ipsa Domini re-  
citanda nullo vel apice detracto vel addito, ri-  
tusque idem ut a Deo traditus & ab Apostolis  
celebratus, sanctè & religiosè conservandus, ut  
per ministrum tanquam per ipsum præsentem

Christum sacramenta administrantur. Finis est fidei confirmatio totiúsque Christianismi meditatio & exercitatio ad illud é Christi morte *λύτρον* assequendum, ad illam Dei in primo jam parente extinctam imaginem instaurandú. Finis ideo duplex est: alter ut Deus purius colatur, Christusque pro beneficio suæ mortis, commemoretur ex animo, puraque fide glorificetur: sic naturalis est hominum generi grata erga eos memoria, á quibus in signia beneficia perceperit: hinc hominibus orationes & triumphus, diis (quos putarent) dies festi, sacra annua, solennes hymni. Alter finis est, ut commemoratione ista fidei sanctaque glorificatione fructus ipsius mortis & humanæ redemptionis pretium Christiano participetur & communicetur. Deus enim sacre professionis author perpetuo in ecclesia sua operatur: ut qui veré sincereque profitentur, cognoscant Deum institutionis promissionisque memorem in suis cordibus habitare, sibi que á ministro Christi figuras, á Christo ipso res figuratas exhiberi sentiat. Sol enim licet in cælo situs, tamen sua illustri luce, suo vegeto calore nobis adest: quanto magis sol justitiæ Christus corpore licet supra omnes cælos collocato, spiritu tamen vivifico nobis aderit sicuti se affuturum in ultima cæna, Ioan. 14. 15. 16. pollicitus est. Itaque finis sacramenti cum ad fidelium salutem, tum ad gloriam Dei, divinique beneficii gratulationem & celebrationem pertinet. Gloria Dei primú in symbolo fidei,

lo fidei, secūdo salus hominis fuit: gloria Dei primū in lege: deinde hominis cum homine charitas fuit: gloria Dei primū in precatione, tūm hominis alimonia & conservatio fuit: sic in sacramento gloria Christi primū, deinde hominis ex fide in Christum per illius mortis fructum justificatio & sanctificatio fuerit. Denique Ezechielis gloriosus ille Deus ante omnia spectandus est: hinc bona omnia suppetent. Ergo quod fides in symbolo, quod ē fidei testibus obedientia in lege, observatioque in oratione docuit, sacramentum hoc idem postremo profitetur.

*Cap. 2. De secundo Sacramenti sine ē veteri novoq; testamento.*

**V**ERVM secundus sacramenti finis de participando communicandoque fructu passionis Christi licet antea sepe propositus, hīc tamen præcipue animadvertendus nobis & considerandus est: ut cū superior illa theologia de fide, de lege, de precatione sub animi aciem subiecit hæc publica sensilibus signis de morte Christi testificatio nostros sensus evidentius moveat, fideique tarditatem exciter attentiore verbi cohortatione & spiritus sancti gratia vivificante verbum pariter symbolaque, ut Christianus sacrum illud augustūque ē Christi morte beneficium toto intellectu sensuque meditando sua ista fide sanctificetur, mandatisque domini promptius obtemperet, constantius ante faciem

Dei patris assistat, salutariaque exoret: simulque benevolentia erga proximum vehementius afficiatur, veraque & perfecta amicitia similitudine scilicet verae & perfectae religionis alter ego (ut dici solet) efficiatur: Hic enim finis sacramenti alter est, hic usus fructus est passionis Christi. Hæc nobis altera sacramenti hypostasis est. Itaque sacræ per visibilia signa professiones inutiles homini videri non debent, ut Massilianis visæ dicuntur, cum talibus exercendæ atque confirmandæ fidei organis Christi merita nobis communicantur, eique ideo vicissim consecramur & obligamur, atque ab omni paganarum superstitionum impietate distingui-  
 mur ac separamur, sacro denique fœdere nos esse Dei populum non Satanae mancipium profiteremur. Hic igitur ex divino mandato atque instituto glorificamus Christum, ab eoque propterea sanctificamur. Neque verò verbi & sacramenti religio, dignitas, virtus, & efficacia alia sed communis & eadem est, verbumque auribus explicat, quod oculis per sacramenta representatur, Christi que bona illa omnia (de quibus antea sæpius) verbo promittuntur, promissio eadem hic duplici meditatione verbi simul & sacramenti confirmatur. Atque ita sacramentum Augustino verbum visibile dicitur, ad eundemque Christum ducibus oculis per sacramentum ducimur, ad quem attentis auribus per verbum institui-  
 mur. Itaque verbum est pro fœderis testamentique tabulis, sacramentum pro sigillo tabularum

bularum: pro sigillo tamen tabulis ipsis affixo.  
 Quare cum patribus antiquis in veteri testamē-  
 to eadem religionis ac pietatis essentia fuerit,  
 quæ nobis est in novo, sacramenti quoque ve-  
 teris & novi eadem facultas est atque professio.  
 Signa externa differunt, At signis differentibus  
 Christus & Messias idem significatur, patribus  
 venturus, nobis exhibitus (ait Augustinus epi-  
 stol. 157. & Psal. 77.) ut illi spe promissi Christi  
 nobis pares, nos illis fide exhibitum superiores vi-  
 deamur. Sed viventibus tamen nobis & spes & fi-  
 des eadem est perfruendi beneficiis exhibitum  
 Christi, quæ fuit illis venturi. Abraham vidit  
 diem unigeniti filii Dei, & spiritu ejus vivifica-  
 tus est, Ioan. 8. Sic Moses & David & reliqui pa-  
 tres suis sacramentis fidem spemque suam testati  
 sunt, omniaque spiritualia é regno Christi be-  
 neficia patribus ac nobis licet illis obscurius, no-  
 bis luculentius, tamen eadem communicata  
 sunt: ut initio primi libri propositum est. Signa  
 venturi Christi ipsius adventu desierunt, exhi-  
 biti durabunt ad extremum mundi tempus. Si-  
 gna illa complendam ac perficiendam promi-  
 sionem significabant, hæc completam atque  
 perfectam: Illa fuerunt Israelitici populi, hæc  
 mundi universi. Sic igitur sacramentis tanquam  
 religionis alimentis cum amplificatur fides, am-  
 plicatur ideo & gratia. Invisibilis enim sancti-  
 ficatio sine visibili signo esse potest, August. su-  
 per Levit. libr. 3. cap. 84, & sacramenta vim suã  
 habent ex verbo promissionis, non quia dici-

tur, sed quia creditur (ait idem libro 5. contra Donat. cap. 7. & 8.) Quid plura? in sacramentis fidei accessio facit istam accessionem gratiæ: Neque tamen gratia Dei tum primùm sacramento percipitur. Hebræi siquidem in deserto circumcissione & apud Babylonios paschate caruerunt, nec Dei populus, ecclesiæque in iis locis esse desit. Eunuchus item Æthiops & Cornelius, Centurio vel antequam baptizarentur, acceperant spiritum sanctum, & latroni crucis participi cùm nullo caeremoniali sacramento defunctus esset, dictum est: Hodie mecum eris in paradiso. Non igitur gratia Dei tum primùm percipitur, sed ante percepta spiritus sancti virtute & afflatu firmitus & constantius consignatur & imprimitur in animis fidelium: neque sacramentum per se salus ipsa est, aut salutem in se interiore aliquo divinæ virtutis arcano continet: sed salutis monimentum & testamentum antecedente gratia perceptæ.

*Cap. 3. De secundo iterum sacramenti sine  
é militari sacramento.*

**S**ACRAMENTUM religionis Christianæ est, tanquam militiæ, quod imperator à singulis militibus in nominis professione stipendiique persolutione exigit, cùm ordinandæ aciei locus tempusque ab unoquoque exigi patiuntur: ut enim hîc à Deo signa sunt gratiæ & salutis, ita sunt à nobis vicissim tessera professionis & no-

tæ, quibus palam in Dei nomen numénq; jura-  
 mus, divinamque mutæ inter nos charitatis ci-  
 vilitatem, ecclesiam, religionem profitemur, ut  
 visibilibus & mysticis signis invisibilia & spiri-  
 tualia fœdera feriamus & sanciamus: At si ho-  
 stium insperata præsentia, si loci importunitas  
 solemniam hæc vota non tulerint, attamen paren-  
 tibus, propinquis, amicis, patriæ debitum offi-  
 cium absque sacramento, fortes rei que publicæ  
 amantes milites ad bene præliandum etiam in-  
 flammabit: sic absque sacramētis vera pietas reli-  
 gio que fidei, obedientiæ, precationis salusque  
 constare potest, si brevitatis vitæ ut in modò natis  
 infantibus, si captivitas, si carcer, si crucis, si ne-  
 cis præsentis instantia, si vis alia quævis sacram  
 professionem impedierit. Veruntamen si facul-  
 tas sacramenti legitimè obeundi facta fuerit, im-  
 pietas fuerit negligere aut aspernari, ut rebellio  
 militi fuerit militiæ sacramentum detrectare.  
 Præputiatus (ut est 17. cap. Genes. 14.) qui non  
 circumcidetur carne præputii, utique extermina-  
 bitur anima illa de populo suo, pactum meum ir-  
 ritum fecit. Itaque Mosem (quia filiolum quem  
 ex Sephora gentili susceperat, nimia indulgen-  
 tiam non circumcideret) Deus interficere voluit,  
 4. Exod. 24. 25. 26. Item de paschate, 12. Exod.  
 15. Qui comederit fermentatum, excindetur a-  
 nima ipsa de Israele: Item 9. Numer. 13. Vir qui  
 mundus fuerit, nec in itinere fuerit, cessarit que  
 à celebrando paschate, hujus anima excindatur  
 de populo suo, & quód munus domino non at-

tulit stato tempore, & is peccatum suum feret. His igitur locis contemptus sacramēti vindicatur exterminatione vel excisione, id est, privatione promissionum divinarum & piorum societate. Denique sacramenti non privatio sed cōtemptio (ut etiam de baptismo Bernardus, ut de cœna Paulus loquuntur) condemnat. Sacramentum igitur est tanquam in Christianæ militiæ delectu professio nominis. Sic veteris ecclesię instituto fidei confessio ab iis exigebatur, qui ætate provec̄ti ad sacramenta accederent. Sic Ioannes baptizat confitentes peccata sua. Matth. 3. 6. Sic Act. 8. 36. cū dixisset Eunuchus, En aquam, quid prohibet me baptizari? Respondet Philippus: Si credis ex toto corde tuo, licet: & si quis ad cœnam accedat, nō admittitur, nisi prius explorata fide. Quapropter secundus hic obeundi sacramenti finis planē in isto Christianę militiæ sacramento materialia sacramentorū signa, neque imaginaria nescio quæ phātasmatata neque vacua significatis, neque inania subjectis rebus esse, ut minus attentis & consideratis fortasse viderētur, indicat: sed cū Christianus animus fidei, obedientiæ, invocationis, id est, universæ religionis antecedentis ac pietatis veritate plen⁹ accesserit, signa hæc sacramentorū materialia divinæ quoque promissiōis & gratiæ plena demōstrat. Hac .n. plenitudine & sanctitate pfessiōis expletur & sanctificatur sacramētū baptismi cœneq; . Profi-  
 teor in sacramētis me Christianū esse, quāobrē,  
 inquies? quia (inquā) viva fide, vivæ fidei actio-  
 ne in

ne in obediētia legis, & invocatiōe per Dei gratiā me nō destitutū sentio: an aliud argumentū a me plenī expectas, quo Christianismū p̄fitear? Hic etiā gustū quendā illorū animi corporisque bonorū habeo, plenū fructū in cælo me p̄cepturum spero: hoc testimonio veritatis & synceritatis cōtestatio divini cū homine fœdetis, p̄missęque hereditatis obtestatio sancitur, cretio tota atque aditio plena cōplebitur in altera vita: interea sanctificatoris spiritū operatione optatissimi fructus particula decerpitur: Præmiū. n. (ut idē illud sæpius repetā, atq; admoneā) præmiū (in q̄) Christianæ pietatis ultimū est, ut p̄ Christi mortē soluti a peccato & liberati cœlestis vitæ, omniūq; Christi bonorū ac beneficiorū omniū participes simus. Labores ad hoc cōsequendū præmiū p̄positi sunt, vera fides, fideiq; testes obediētia legis, & ad supplendū integrū totius obedientiæ defectū precatio & invocatio, & horū omnium professio: iis laborib. p̄fessio Christianæ militiæ velut emerita, expletaq; cōcluditur, sicuti militare sacramentū serio veroq; tum demū imperatori præstatur expleturq; cū sudorib. agminis, periculis & vulnerib. prælii, extremisq; omnib. ob eundis militaria munera officiaq; omnia obeuntur. Sed militiā in hac vita p̄petuā meminim⁹, ut stipendii arra quædā hīc quidē capiatur: plena autē persolutio ad cœlestē triumphū referatur. Hæc igitur Christiani sacramenti (si humanis divina cōferri possunt) umbra quædā est, licet a cœlestis militiæ veritate lōgissimē remota & tamen

umbra veris militibus tam religiosa, ut Grajus ille contra sacramentum (quo esset obligatus) vel iniquissimis pœnis vix adduci fingatur.

*Vos aeterni ignes & non violabile vestrum*

*Testor numen (ait) vos ara ensesque nefandi*

*Quos fugi, vittaq; deum (quas hostiageffi)*

*Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.*

Quapropter ista sunt pro cœlesti civitate, pro divina republica Christianis animis sacrata jura, quorum veritatem humanis iudiciis persuadere quãti fuerit, declarabit hominum averfatio proque sensili & terrena sacramenti materia contra spiritualementem & cœlestem repugnantia atque dissensio. Animales enim (ut ex Paulo prædictum est) spiritualia non apprehendunt.

*Cap. 4. Quòd sacramenta duo tantùm sint,  
Baptismus & Cœna.*

**C**H R I S T I A N U M sacramentum est baptismus aut cœna. Nomen enim sacramenti (ut prædictum est) plerisque cæremoniis aliis vulgò assignatur: sed positæ definitioni hæc duo sola conveniunt. Sic Ambrosius in libello de sacramentis (si tamen est Ambrosius) baptismi tantùm & Eucharistiæ meminit. Sic Augustinus 3. libr. de doctrina, Sacramenta (inquit) pauca pro multis, eaque factu facillima & intellectu augustissima & observatione castissima ipse dominus & apostolica tradidit disciplina, sicut est baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis

nis domini. Quanquam quibusdam istam bipartitam sacramentorum divisionem improbantibus, videtur Augustinus non partiri, sed exempla de multis quædam proponere. At sic paucitatis exempla non proponeret, quod tamen proposuit: & Christi autoritas hîc satis est, duo tantum sacramenta in evangelio constituentis. Quinque verò reliqua quæ sacramenta appellantur, ordo, confirmatio, unctio, pœnitentia, connubium, propositam sacramenti definitionem non capiunt. Nam in ordinem & confirmationem videntur Apostolica ministrorum electio & catechismus per inertiam & ignaviam sacerdotum degenerasse. Ordinatio enim illa fuit propria ministrorum quæ non est ecclesiæ & fidelium omnium communis, ut est sacramentum, & hæc puerilis institutio: confirmatio erat religionis: cum qui infantes baptizati essent, ætatis progressu sic instituerentur, ut baptismi sponsores receperant, religionisque suæ rationem confessionemque coram episcopo populoque ederent, tumque spiritus sancti invocatione per episcopaliū manuum impositionem confirmarentur (ait Leo Papa epist. 77.) Et Augustinus contra Donat. Quid aliud est manuum impositio, quam oratio super hominem? Et Hieronymus ait contra Luciferianos hanc benedictionem solis episcopis datam esse, magis in honorem sacerdotii, quam ex legis necessitate. Equidem hæc manuum impositio, ut pro simplici benedictione laudabilis fuerit, sacramentū ta-

men nequaquam propterea fuerit, cum a Deo non sit instituta, ut Hieronymus ait, imo vero cum discipulis Christi sanisque omnibus non sit instituta. Quotus enim Christianorum quisque ad ministerium divini verbi ordinatur & optatur? Itaque ad omnes non pertinet. Unctio vero apostolis certum recuperanda valetudinis signum fuit, utque apostoli mortuos excitabant, demonia eiciebant, sic aegrotos ungebant oleo, & sanabantur. Mar. 6. & quidem pro more gentis usuque populari, ut etiam sani & valetes ungerentur. Oleo caput meum non unxisti. 7. Luc. Hinc alipta in palaestris. At apostolorum sanationes illae non multo postea defecerunt, evangelio satis superque ob signato & superstitione per ejusmodi miracula jam exoriente ut 200. post Christum annis apparuit usque ad tempora Augustini, a quo propterea mirabiliarii notati sunt. Quin unctio postea a pontificiis certum proximae mortis signum factum est; ut si convalescat aegrotus, iterari unctionem nefas habetur. Paenitentia vero magnum religionis est argumentum, & obedientiae invocationisque religionem precipue complexa. Impositio autem manuum quae paenitentiae defunctis ab episcopo in signum reconciliationis cum ecclesia tempore interdictionis impleto & legitime conservato adhibebatur, ab hominibus non a Deo instituta caeremonia est, ut quae paenitentiae praepositur, auricularis confessio sine divino praeepto inducta. Nam quod 8. Matthaei 4. mundato a lepra Christus ait, Ostende te sacerdoti, nihil ad hanc auricularem confessionem attinet, sed ad Mosaicam legem, quae sacer-

dotem

dotem lepre mundatę judicem faciebat 14. Lev.  
 4. At mutato sacerdotio necesse est mutari legē,  
 7. Heb. 12. Connubiū est illud quidem a Deo in  
 stitutum: At nec omnibus fidelibus p̄ sacramēti  
 lege & natura mandatū, ut cūm per etatē liceret,  
 ab omnibus credētibus esset obeundū. Nā divi-  
 nū continentix donū a Paulo probatur, nec con-  
 nubium gratiam remissionis peccatorum habet  
 annexam, ut sacramenta, nec ad Christi mortem  
 commemorandā vel fruendā est institutū. Et si  
 sacramentū pontificiis videatur, caussa ipsis dicē  
 da fuerit: quare sacerdotib. sacramēto omnibus  
 nēpe fidelibus instituto per dominū & mādato,  
 Romanus pontifex interdixerit. Quamobrem  
 sacramenta ordinaria totius ecclesię a Deo pro-  
 posita & primis Christianis cognita duo tātūm  
 sunt baptismus & cœna,

*Cap. 5. De Baptismo & ejus pri-  
 mo. fine.*

**B**APTISMUS est sacramentum, quo aqua in  
 nomine patris, filii & spirit<sup>o</sup> sancti semel ab-  
 luti Christo initiamur ad profitemdum sanguine  
 Christi nos a peccatis abluī. Atque ideo propriē  
 hīc initia dixeris Christianismi, & a nōnullis id-  
 eo signum initiale populi Dei baptismus appel-  
 latur. Pro baptismo Hebræis circumcisio fuit de  
 qua est 17. Gen. 9. & deinceps, ubi De<sup>o</sup> cum A-  
 brahāmo ita loquitur: Tu autē pactū meū custo-  
 dies, Tu & semē tuum post te in generationibus

fuis: hoc est autem pactum meum quod observabitis inter me & vos, atque inter semen tuum post te, ut circumcidatur in vobis omnis masculus: circumcidetis veró carnem præputii vestri, eritque signum pacti inter me & vos. Omnis itaque masculus octo dies natus circumcidetur in vobis: & deinceps toto capite, ubi circumciditur Abrahamus totaque familia: & circumcisionis sigillo obsignatur fœdus pactum cum Abrahamo regibusque ac populis ex eo descēsuris cumque tota Abrahami posteritate, posteaque circumcisioni purificationes & sacrificia Moses addidit in Levit. Vistamē sacramento eadem permansit. Circumcisio itaque ordinariū Hebræis sacramētum fuit, & Christus octo dies natus secundum circumcisionis legem in templo circumcisus est, à quo deinde circumcisio in baptismum est conversa. Author veró baptismi cuiuspiam videatur primus Ioannes fuisse, qui baptizavit aqua & discipulos & Christum ipsum: unde Baptista nominatus est: sed per discipulos Christus quoque baptizavit 3. & 4. Ioā. & Baptista Christum pro domino salutavit & coluit. Ecce (ait 1. Ioan.) agnus Dei, qui tollit peccata mundi: imò missus est ipse à Deo ad baptizandum. Itaque ait de se: Qui misit me baptizare, &c. posteaque discipulis suis Christus solemne de populorū omnium baptismo decretum proposuit. Christus igitur baptismi solus est author. Materia baptismi unico aquæ signo concluditur: cuius analogia corporis sordibus detergendis, cum sanguine

guine Christi ad animorum labes abluendum  
 perspicua est, Sic in baptismo signum est elemen-  
 tum aquæ, ablutioque illa visibilis, quæ fit per  
 ministrum, res autem significata est per Christi  
 mortem à peccatis ablutio & regeneratio. Ablu-  
 tio igitur externa est signaculum interioris ab-  
 lutionis & per spiritum sanctum renovationis  
 ac regenerationis: promissionis quippe divinæ,  
 donique maximi: Atque ista est similitudo, quã  
 nos Augustinus generaliter antea docuit: & si-  
 militudo etiam Ethnicis in sacrorum suorum pi-  
 aculis non ignota. Hinc apud poetam,

*Tu genitor cape sacra manu patriosque penates*

*Me bello è tanto digressum & cedere recenti*

*Attrectare nefas, donec me flumine vivo*

*Abluero.*

Aquam igitur Ioannes Matth. 3. nominat. Ego  
 quidem (ait ad discipulos) baptizo vos aqua in  
 pœnitentiam: Et sic idem rursus aquam baptis-  
 mi in reliquis evangelistis nominat. Baptismi  
 forma Matth. 28. 19. sic est in voce Christi ad  
 discipulos. Profecti ergo docete omnes popu-  
 los, & baptizate in nomine patris & filii & spi-  
 ritus sancti. Atque ista in baptizato divini numi-  
 nis invocatio & collaudatio, baptismi forma est  
 & aquæ consecratio, tanquam baptizatus ab-  
 luatur peccatis tot<sup>o</sup> a Deo patre, filio, spiritu san-  
 cto, unaque cum aquæ aspersione efficacia divi-  
 næ gratiæ aspergatur: & sic in Christi baptismo,  
 quæ fuit idea nostri baptismi pater cœlesti voce  
 auditus & filius ipse humanis oculis conspicuus

fuit, & specie columbæ sanctus spiritus apparuit. Ideoque Ioannes apud Matth. 3. 11. ait de Christo. Ego quidem baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni, id est, per spiritum sanctum purgabit, qui est instar ignis, qui que ignearum linguarum specie post ascensionem Christi discipulis apparuit. Forma igitur ista reverenter observanda, neque humanis exorcismi, ardentis cærei, olei, salis, sputi superstitionibus contaminanda, quorum in Iordane, cum Christus est baptizatus, cumque infiniti ab apostolis baptizati sunt, nihil affuit. Finis baptismi est commemoratio mortis Christi & in puriorem vitam regeneratio: qui finis uterque fere in sacris literis conjungitur, vel potius in baptismo prior ille finis re ipsa magis comprehenditur, quam disertis verbis explicatur. Sic igitur Paulus 6. Rom. An ignoratis (ait) quod quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem eius baptizati sumus? consepulti enim sumus una cum illo per baptismum in mortem: ut quemadmodum excitatus est a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Nam si insiti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus: illud scientes quod vetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, nec postea serviamus peccato. Sic Paulus utrumque baptismi finem ex fide in Christum conjuncte philosophatur: quod baptizemur in Christo in eius mortem, quod sepeliamur cum Christo in  
 ejus

ejus mortem, quod inferamur Christo per mortis similitudinem, ut excitemur a mortuis, ut resurgamus, ut in vite novitate ambulemus, ut peccati corpus aboleamus. Hic nempe fructus ille mortis est in symbolo propositus, posteaque frequenter iteratus. Infitio nimirum, resurrectio, regeneratio, veteris corporis abolitio, bona illatum animi innocentiam, sanctitatem, tum corporis robur, immortalitatem, splendorem significant. Per baptismum igitur peccati forma & labe totoque reatu abluimur: materies & fomes remanet: neque fons ipse propensionis ad peccandum naturalis & originalis, quandiu in hac vita sumus, penitus exarescit aut prorsus exsiccat, sed quantum libidines coercemus & cupiditatum flammam restinguimus; eius fluxus tantum cohibetur, quantum nempe promissam baptismi gratiam complectimur. Sic enim vetus in nobis homo crucifigitur ac sepelitur, homoque novus excitatur. Qualis regeneratio illa nimirum est, Ezechielis 36. Dabo vobis cor novum, spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in preceptis meis ambuletis. Hunc baptismi fructum Iulianus irridebat cavillando Christianos aqua a peccatis seu morbis animi sanctificari & liberari, quatenus a corporis quidem morbis liberari possent: & tamen si quod ipse piaculum admisisset; expiati tum putabat;

--- *Si corpus flumine vivo*

*Ablueret.*

Sed apostata, qui nudum inanèque symbolum, quiq̄ue præter aquam nihil hîc agnosceret, irri-  
tionis suæ debitas pœnas luit: plenitudo enim  
baptismi ex fructu mortis Christi per fidem ap-  
prehensio jam antea generaliter exposita est. Ba-  
ptizati igitur abluimur originalis peccati conta-  
gione in mortem Christi (sicuti Paulus ait) ut ce-  
lebremus Christi mortem & testificemur ejus  
sanguinem pro expiatione & ablutione huma-  
ni generis effusum, eaque fidei sanctaque testi-  
ficatione expiemur & abluamur: sed hic idem fi-  
nis uterque locis compluribus testator & illu-  
strior est. Profecti (ait Marc. 16. cap. Christus)  
in mundum universum, prædicate evangelium  
omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fue-  
rit, servabitur, qui verò non crediderit, condem-  
nabitur. Hic baptizatis expiatio & ablutio, om-  
ninoque salus ex fide promittitur, sed Paulus i-  
dem ad Ephes. 5. regenerationis ablutionem &  
sanctificationem copiosius interpretatur, Chri-  
stique ideo beneficentiam erga nos & misericor-  
diam magnificentius cõmemorat. Christus dile-  
xit ecclesiã (ait) & semetipsum exposuit pro ea,  
ut illam sanctificaret mundatã lavacro aquæ per  
verbũ, ut adjugeret sibi gloriosam ecclesiam sine  
macula, sine ruga, sine ulla ejusmodi labe, ut ef-  
set sancta, & ab omni reprehensione libera. Ba-  
ptismus igitur hic annulus est despõsæ Christo,  
regeneratæ in novam speciem & sanctificatæ ec-  
clesiæ

clesix: sed Christi sanctitate nobis imputata &  
 in ecclesix membris inchoata. Atque Paulus i-  
 dem (ut est ad Titũ 3.) gratuitã & ẽ propria Dei  
 misericordia regenerationẽ, donatũque omni-  
 no redemptionis illud pretiũ non partũ meritis  
 vel acquisitũ prædicat. Non p̄ justitia (ait) actio  
 num nostrarũ, sed pro misericordia nos servavit  
 per lavacrũ regenerationis & renovatiõis spiritũ  
 sancti. Postremo, ut Gal. 3. Quicumque baptiza-  
 ti estis, Christũ induistis. Antea prædicationis &  
 gloriationis genere cõsimili baptizati dicebãtur  
 cũ Christo & mortui & sepulti & excitati, Chri-  
 sto denique insiti: nunc pro eodẽ & metaphora  
 simili Christũ induti dicũtur, tanq̄ per baptismũ  
 Christianus Christi justitiã pro ipsius misericor-  
 dia cõdonatã & imputatã induat. Vt .n. Iacobus  
 vestimẽta fratris Elai induit est, ut benedi-  
 ctionẽ patris acciperet, sic nos Christi justitiã veluti to-  
 gã induimus, ut cœlesti patri recõciliemur. Hęc  
 .n. metaphora superiorib. respondet, omnesque  
 corporũ analogia, animorũ theologiã interpre-  
 tantur: deique imaginẽ illã (quã peccato delevi-  
 mus, vel certẽ vehemẽter obscuravim⁹) cõmuni-  
 tatis ẽ Christi sanguine colorib. renovatã polli-  
 cetur. Quapropter baptismi finis & fruct⁹ solẽ-  
 nis & festa cõmemoratio & cõcelebratio mortis  
 Christi, p̄rque Christi mortẽ hominis ablutio a  
 peccatis viteque sanctioris renovatio, ac regene-  
 ratio, cũmq; Christo spiritualis cõiunctio. Atq; hęc  
 est (ne quis Iulianus irritum & inane sacra-  
 mentum calumniatur) divinæ gratiæ promissio.

hoc divini beneficii fœdus & pactum cum baptismo connexum & copulatum, ut baptizatus in Christi mortē fidēq; novo quodā & cœlesti factu in beatioris ævi sempiternā vitā regeneretur.

*Cap. 6. De Secundo baptismi sine ex veteri Testamento.*

**E**NI MVERO regenerationis hunc ipsum fructū Dei populo nō solūm exēpla sanctorum prophetarū demonstrabāt, sed parē prorsus atque eundē afferebat patribus circūcisio. Ut igitur patres circūcisioe, ita nos baptismo in civitatē Dei primūm ascribimur & adoptamur, atque ut hebræ<sup>9</sup> semel circūcidebatur, ita nos semel baptizamur: utq; circūcisio, sic baptismus nequaquā iteratur, quia in familiā & hæreditatē totūq; fœdus filiorū Dei semel adoptari, & in albū censumque Christianę civitatis ascribi in perpetuū satis est, & 19. Act. 5. ab Ioāne baptizati postea baptizantur in nomine domini Iesu, nō quod rursus aqua abluantur, sed quod novis spiritus sancti donis impleantur. Sic. n. variē baptismi nomē interdū in scriptura usurpatur. Circūcisio igitur veterum patrū baptismus noster fuit. Et ideo Paulus 2. ad Col. veteri sacramēto novū veluti cōparās superiora illa ferē eadē cōmemorat. Estis in eo cōpleti, qui est caput omnis principatus ac potestatis, in quo & circūcisi estis circuncisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorū carnis in circūcissione Christi, sepulti unā cum illo in baptismo, in quo simul etiam cum illo resurrexistis.

stis per fidem, qua Deus agit efficaciter, qui exci-  
 ravit illum à mortuis. Quare circumcisionem pa-  
 triarchis efficacia parem cum nostro baptismo  
 fuisse intelligimus. Atque huc ideo metaphora  
 illa redit: una cum Christo sepulorum, & nova  
 additur peccati corpus exutorum, eadēque bono-  
 rum Christi cōmunicatio largitiōque significa-  
 tur. Alia etiā veteris testamenti, sed extraordina-  
 ria sacramenta baptismo respōdentia proponun-  
 tur. Primo arca Noei, cujus figuræ (ut Petrus ait)  
 nunc respondens baptismus nos quoque confer-  
 vat, quo non carnis sordes abluuntur, sed quo fit,  
 ut bona conscientia bene respondeat apud Deū  
 per resurrectionem Iesu Christi: Secundo nubes  
 & mare: Paulus I. Cor. I. cap. Patres omnes sub  
 nube erant, & omnes per mare transierant, & om-  
 nes in Mosem baptizati per nubē & per mare.  
 Totigitur purgatiōis per Christi sanguinē futu-  
 ræ sensilia signa & sacramenta in circūcissione, in  
 arca Noei, in nube & mari facta sunt: sed circū-  
 cissio ordinaria fuit, & omnib. instituta, & in ordi-  
 nariū baptismum à Christo conversa. Liberi ve-  
 ró fidelium & piorum baptizantur in parentum  
 atque ecclesiæ pietate & fide conscia divini fœ-  
 deris cum Abrahamo ita facti Gen. 17. Ego ero  
 Deus tuus & seminis tui: infantes (inquam) fœde-  
 re Dei comprehenduntur. Iure igitur signum fœ-  
 deris accipient. Nam si radix sancta, & rami san-  
 cti, ait apostolus, Quod idē per Christū cōfirma-  
 tum est, cū dixit, Baptizate oēs. Nec enim à ge-  
 nerali lege pueros vel infantes possis excipere;

Item finite parvulos venire ad me, talium enim est regnū cœlorū. Mar. 10. infantes denique baptizari ex institutione apostolica docent Irenæus, Tertullianus, Origenes, & patres ab apostolis longa serie & successione plurimi. Atque olim etiam consimili circuncisionis sacramentō infantes circuncidebantur. Itaque liberi fideiū baptizantur, ut paticipes nempe sint & hæredes divinorum beneficiorum ecclesię promissorum, utque etate provecti parentum religionem & pietatem profiteantur. Imo verō infantibus sine baptismo decedentibus, salus tamen etiam parata est: baptismus enim ipsis est in ecclesia nasci.

*Cap. 7. De Secundo iterum baptismi sine, e  
Christi & Nicodemi dialogo.*

**V**ERVNTAMEN fructus iste renovati & regenerati hominis, ut singularis, sic admirabilis Nicodemo Israeliticę gentis principi & doctori vel potius incredibilis fuit: de quo lubet paulo plenius agere, ut tantum sacramentum clari⁹ intelligatur. Baptism⁹ igitur & si antea a Deo erat per Ioannem institutus, tamen Christus nondū miserat discipulos ad baptizandum, nec dum solēniter dixerat, *Ite, baptizate*, cum fructus baptismi ē regeneratione anticipatur sermone q̄dem generali & cōmuni: potest enim regeneratio ex fide sine externo aquę lavacro existere, ut de sacramēto generaliter prædictū est, sine quo nempe salus esse possit: sermone (dixi) generali  
sive

five in baptismo five extra baptismum: unde indubitata veritas in speciali baptismi sacramento concludatur, quod enim generaliter verum sit, id etiam specialiter verum esse necesse est: Nec satis attenti ideo & considerati videamur, si locum hunc ad baptismum nihil attinere iudicemus. Quare fructus regenerationis in baptismo verus sic a Nicodemo & Christo differitur. Rabi (ait Ioannis 3. ad Christum Nicodemus) scimus quia a Deo venisti magister: Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus velut admiratus in Nicodemo, quod sibi tantam tanti magistratii scientiam arrogaret, cuius tamen (ut e contradictione eius mox apparebit) prorsus inscius & ignarus esset. Itaque dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, non potest videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est: Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, & sonitum eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu. Hic Nicodemi inscientia atque ignorantia planè convincitur de divini magistratii scientia tam confidenter affirmantis. Spiritus

tus aerius & ventus tam liberos in omnem partem & tam violentos flatus habet, ut plerunque cœlum, terras, mariaq; permisceat: Attamē Philosophus adhuc nemo fuit, qui primam ventorum originem, unde orirentur, qui ultimum tātæ velocitatis modum, ubi conquiescerent, deprehendere potuerit. Sic angelus Esdræ cap. 4. lib. 4. Vade (inquit) examina mihi pondus ignis, aut flatum venti metire mihi, aut revoca mihi diem elapsum: & respondens Esdras. Quis (inquit) mortalium præstare possit, quod a me deus requirit? Hic Propheta venti & spiritus scientiam homini impossibilem profiteretur: ut mirum nihil videri debeat Nicodemo aerii & naturalis spiritus facultatem ignorantæ cœlestis ac divini spiritus omnium miraculorum operibus admirabilem virtutem ignorari. Itaque Nicodemus velut obstupefactus hæret in admiratione, neque credit, sed tamen veluti doceri cupiens, respondet: Quomodo possunt hæc fieri? Quapropter objurgatur a Christo de illa tantæ scientiæ confidentia, de quæ contradictione incredula. Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimoniū nostrum non accipitis? Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixerō vobis cœlestia, credetis? Comparatio paululum dissimilis ad Nathanaelem illa fuit: Quia dixi tibi quod te sub ficu viderem, credis: majora his videbis. Amen amen dico vobis, posthac videbitis cœlum

apertum

apertum & angelos Dei ascendentes & descen-  
 dentes super filium hominis. Comparatio igitur  
 Christi hæc est de regeneratione, re nempé  
 vulgata, terrenaque, cujusque in terris Adamus,  
 Noëus, Moses, Iesaias, David, cæterique patriar-  
 chæ Nicodemo Mosaicæ civitatis principi &  
 philosopho manifesta exempla monstrare po-  
 terant: At cum Nicodemo talis regeneratio sit  
 incredibilis, quid Christi divina simul huma-  
 naque natura, quid cruciatus & resurrectio,  
 ascensioque in cælum, quid sedes ad dexteram  
 Dei patris, & æqualis cum patre potestas: quid  
 item hominis per Christum non regeneratio  
 tantum, sed cum corpore resurrectio, sed ascen-  
 sio in cælum, sed cum Christo insitio & conjun-  
 ctio, atque é Christi communicatis bonis om-  
 nibus divina quædam & cælestis instauratio &  
 renovatio: Quid (inquam) cælestia ista, quorum  
 in terris exempla nulla unquam fando audita  
 essent, qualia tandem Nicodemo viderentur?  
 Quapropter (quod institueram) baptismi finis  
 iste, ut fructu singularis, sic creditu difficilis etiã  
 bono viro, & Deum timenti fuit, sed é propria  
 verborum & nativa significatione corpoream  
 regenerationem concipienti. Metaphoram igitur  
 in oratione Christi non sensu carnis, sed mētis  
 spiritu metiri Nicodemus debuerat, hominē  
 regenerari ac renasci, qui avita terrenæ ac hebe-  
 tioris vitæ contagione velut extinctus in san-  
 ctiores Deoque gratiores mores sancti spiritus  
 afflatu mutaretur & converteretur, tandemque  
 in

in primum illum Deoque similem statum restitueretur. Hæc nimirum animalis averfatio est, quam dixi, & pro sensibili sacramenti materia contra spiritualement disputatio. Ergo hæc de vivi, imò vitalis & vividi ac potius vivifici fluminis baptismo, per quem Christi mortem celebramus, eiusque sacrosanctum fructum sanctificamus, eaque celebratione & sanctificatione non tantum aviti & agnati peccati sordibus abluimur, sed divinis Christi ac cœlestibus donis perfundimur, cum Christo unâ & crucifixi & sepulti, & mortui, & excitati corpus peccatorum carnis exuti regeneramur, sanctificamur, in electorum numerum & societatem accensemur, Christum induimus, ei que inserimur.

*Cap. 8. Quid sit Cœna,*

**A**TQUE hæc de Baptismo, baptismique utroque sine dicta sunt. Iam de cœna dicendi tempus est. Cœna est sacramentum, quo actis Deo gratis pane & vino utimur ad profitendum nos Christi corpore crucifixo sanguinéque fuso in æternam vitam sustentari: ut enim a baptismo primū est Christianismi initium, sic a cœna perpetuum deinceps est alimentum. Baptismus non iteratur, quia nativitas est Christianismi, semelque tantum nascimur. Cœna iteratur, quia educatio est Christianismi, & alimento sæpius iterato vivimus. Baptismus circumcisioni successit, cœna paschati. Pascha describitur septem

ptem capitibus a Mose in Exod, 12. 13. 23. 34. In Numeris 9. 26, In Deuteronomio 16. Victima erat agnus aut hœdus perfectus, masculus anniculus, nullo osse cōfractus, affatus cum herbis amaris ut lactucis, totus (aut reliquæ comburebantur) edebatur a circumcisis ejusdem familiæ, aut etiam assumptis aliquot vicinis, omnibus succinctis, calceatis, baculo nixis, in loco quem Deus elegisset, decimoquarto die Martii inter duas vesp̄as seu vespertino crepusculo, nec ad lucem pernoctando, festumque septem dies continuabatur in memoriam educti ex Ægypto Israelis, & pascha seu transitus dictus, quia Deus transiens percussisset Ægyptios: Hebræis autem pepercisset. Christus verò eodem vesp̄ri cum duodecim Apostolis pascha celebravit: deinde ordinariam cœnam sumpsit, postremo inter ordinariam cœnam cum surrexisset, pedesque Apostolorum lavisset, eosque tali exemplo ad mutuam charitatē exhortatus esset, iterum accubuit, & sacram cœnam pro paschate instituit: ut antea baptismus pro circumcisione institutus est: tandēque antiqui fœderis umbram veritate novi fœderis expressit. Cœna igitur hîc triplex fuit, media ordinaria, reliquæ mysticæ. Ad extremam igitur ordinariæ cœnæ mensam Christus (ut est 26. Matth. 1.) accepit panē & benedixit ac fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: hic est enim san-

sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hæc Dominicæ cœnæ est institutio, cum passionis tempus appeteret, ut docet Matthæus, Marcus, Lucas evangelistæ. Et institutio quidem ex iisdem symbolis quibus post paschalis agni manducationem Hebræos uti solitos proditum est. Nam paterfamilias panem azymum & calicem vini statuebat in mensa, peractaque cœna panem vinumque convivis equaliter partiebatur, quod hodieque Iudæi servant in memoriam paschatis. Benedictionis autem formula erat in pane, Benedictus es Domine Deus noster, rex sæculi, qui educis panem de terra. In vino. Benedictus es Domine Deus noster rex sæculi qui creas fructum vitis. Hæc ex Immanuele Tremellio.

*Edentibus.*] Generali verbo ordinaria illa cœna significatur, speciatim verò & nominatim hoc sacramentum à Paulo 1. Corinth. 11. appellatur, cœna dominica, & 1. Corinth. 10. appellatur mensa Domini. Cœnæ verò à Christo primùm institutæ tempus vespertinum à tribus primis Evangelistis exprimitur. Sed ut paschatis, id est, cœnæ tempus, primis Christianis arbitrarium fuit, sic hora diei videatur libera fuisse, quin dubiis & periculosis rebus in Ecclesia primitiva hodieque noctu interdum celebratur. Sed causas cœnæ plenius exquiramus. Quis igitur auctor? quis rex sacrosancti convivii? Nullus hinc Christo vel dux vel comes ad-

ditur

ditur, ut antea Ioannes in Baptismo videbatur, Christus solus est author: facessant hiñc igitur humana placita commentaque, hominis hñc nihil est. Quæ materia? panis nempé & vinum, quibus analogia sacri mysterii præcipuè comprehenditur, ut enim corpora nostra confecto corporeis organis pane epotoque vino viribus recreata caducam vitam tuentur, sic animæ nostræ Christi crucifixo corpore profusoque sanguine ab æternæ mortis gehenna per vivam fidem liberatæ, æternam vitam consequuntur. E corpore nempé Christi crucifixo proventus est panis æternæ vitæ, é sanguine Christi profuso fructus est vinum æternæ vitæ. Denique *λύτρον* illud é morte Christi, quod nos per baptismum spiritu vitæ regeneravit, idem per cœnam pastu spirituali sustentat atque alit. Baptismus analogiam in aqua habuit, cœna modo suam habet, panis & vinum á pastu potuque corporis, ad animi pastum potumque referuntur, & quidem panis & vinum mortalibus omnibus notissima alimenta, ut inde metaphoræ similitudo clarissima fieret. Itaque in Eucharistico mysterio cùm dicitur de pane, Hoc est corpus meum, & de poculo, Hic est sanguis meus, Demonstrativa panis & vini, item verbum, Est, propriè significant, nec aliud iis dicitur, aliud intelligitur. Corpus autem & Sanguis metaphoræ sunt, non id ipsum quod dicitur, sed dicto simile significantes, ut in baptismo si dicitur Aqua est sanguis Christi, talis metaphoræ

fit, non in verbis aqua, vel Est, sed in nomine, Sanguis. Sed metonymiæ corporis & sanguinis pro adjunctis eorum bonis ac fructibus præterea conjunguntur. Quales non in sacris tantum literis sed in profanis vulgo & passim sunt usitatae. Sic enim Comicus: Quid te miserum censes, quem assidue exedent? Sic Poeta ille veluti tropum explicans,

*Viscera nostra tua dilacerantur opes.*

Quare in verbis, Corpus & Sanguis tropus geminus est, metaphora & metonymia: verum de tropis hujus mysterii postea rursus plenius. Signis igitur panis & vini ob signatur in animis ad sacram mensam accedentium Christi corpus crucifixum, & sanguinem effusum in remissionem peccatorum nostrorum, in liberationem æternam salutemque verè credentium pœnitentiumque. Quid forma? quibus rebus est comprehensa? Comprehenditur benedictione primum panis vini que, id est, gratiarum actione: Idem prius fuit, Benedixit, item Gratiarum egit, Comprehenditur deinde utriusque signi omnibus convivis æquali partitione, & assumptione. Partitio fit panis fractione, non illa quidem significante ullam corporis Christi fractionem ut Beda arbitratur. Nec enim Christi quicquam fractum est, ut Ioannes testis est, 19. 33. sed simpliciter exprimente partitionem unde singulis pars daretur. Asiaticis enim vel hodie panis instar nostratis libi frangitur manu, non scinditur cultro, ut panis a nobis frangi solet, & sic, Acto.

2. & 20. totum mysterium fractio panis tanquã communicatio dicitur. De vino autem simile dici potuisset, si fuisset in diversos calices fundendum. At videtur calix unicus fuisse unde omnes biberent: ut hodiẽque in cœna à compluribus ex eodem calice bibitur. æqualis igitur partitio fit panis fractione, vinique consimili distributione: æqualitas enim ista indicatur his verbis: De pane in Matthæo, Marco, Luca. Dedit eis, accipite & comedite: In Paulo, accipite & comedite. De vino in Matthæo: Dedit eis: Bibite ex hoc omnes: In Marco, Dedit eis: Biberunt ex hoc omnes: in Luca & Paulo, Similiter & poculum dedit. Itaque datur & assumitur omnibus Christianæ cœnæ convivis tùm panis tùm vinũ. Per formam igitur benedictionis, fractionis, distributionis, panis & vinum consecrantur, id est, divino mysterio dedicantur: unde apparet furiosa hominum audacia, qui violato tantæ majestatis sacramento vinum in cœna laicis detraherunt: neque saltem sui pontificis Gelasii auctoritate commoti sunt, submovendos à cœna decernentis, qui non utraque specie communicarent: imò verò qui cœleste symposium à communionem sanctorum ad privatam mensam averterunt. Apagelis igitur nefande Satana. Deus solus est author mysterii, Deus solus est munerator: sanctitas sacramenti zizaniorum veneficia respuit: Sed de zizaniis istis postea amplius. Quis finis tandem? quis fructus? Certè qui genere sacramenti & in baptismo, propositus est

ad commemorandum Christi mortem ejusquæ  
fructum percipiendum.

*Cap. 9. De primo sine Cœna.*

**Q**VAPROPTER finem ut antea in genere,  
& in altera specie, sic in ista specie reliquæ  
diligentius exequamur, ac prius de commemo-  
ratione. Baptismus (ut prædictum est) commemo-  
rationem divini beneficii re ipsa magis com-  
plectitur, quàm oratione exprimit. At cœna nō-  
minatim etiam hac de re mandatum continet.  
Præscriptus igitur expresso domini verbo & mā-  
datus finis exponatur accuratius de commemo-  
rando Christi beneficio, deque gratiarum acti-  
one: unde videtur & à primis Christianis eucha-  
ristia, id est, actio gratiarum, nomen huic sacra-  
mento factum esse. Exod. 12. Instituit é domini  
præscripto diem Moses in memoriam beneficii  
quod primogeniti Hebræorum cum primoge-  
nitis Ægyptiorum non periissent. Habebitis  
hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum  
solemnem Domino in generationibus vestris  
cultu sempiterno. Quam pietatis memoriam vi-  
demus etiam paganis gratam & charam fuisse.  
Sic enim heros ille Trojanus paternæ mortis me-  
moriam decorat.

*Iamq; dies, ni fallor, ad est, quem semper acerbū,  
Semper honoratum, sic diu voluistis, habebo.*

Sic igitur hæc popularis & publica partæ pet-  
Christum libertatis cōcelebratio est & collauda-  
tio: sic hic dies Christo festus, hoc symposium  
Chri-

Christo sacrum, hic hymnus Christo solemnissimæ  
 hæc memoria Christo sanctæ devotæque. Qua-  
 re & breviter Lucas Paulusque hîc attendantur:  
 de corpore uterque : Hoc facite in meam com-  
 memorationem: Et separatim Paulus de sangui-  
 ne corporæque, Hoc facite (inquit) quotiescun-  
 que biberitis in meam commemorationem:  
 quotiescunque enim mâducabitis panem hunc,  
 & calicem bibetis, mortem Domini annuntia-  
 bitis donec veniat. Hîc igitur Paulus perspicuè  
 hunc primum dominicæ cœnæ finem ad Christi  
 laudem gloriâque memorandum & celebra-  
 dum declaravit: Et quidem memorandum & ce-  
 lebrandum non servili tristitia, metu, sed inge-  
 nua animi liberalisque lætitia. Plerique enim  
 omnes animis sic abjectis consternatisque huc  
 accedunt, tanquam ad carnificinam aliquam at-  
 traherentur: ad nullas autem nuptias hilarior  
 nemo quàm ad hoc convivium debeat accede-  
 re: amplitudo siquidem immensi beneficii gra-  
 tulationem festi convivii immensè quoque am-  
 plificare debeat. Sic igitur Dominus ipse præce-  
 pit, ut sacra cum gaudio & lætitia peragantur,  
 ut de festo oblationis primorum fructuû. Deut.  
 16. Et lætaberis coram Domino Deo tuo, tu &  
 filius, filia tua, servus tuus, ancilla tua atque Le-  
 vites, qui est intra portas tuas, sed & peregrini-  
 nus, pupillus & vidua qui tecum versantur in lo-  
 co quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitet  
 nomen suum illic. Memineris quòd & tu servus  
 fuisti in Ægypto, ideo custodi & fac ritus illos!

quin lætitia paschatis, 2. Paral. 35. & 2. Regum  
 23. 21. describitur, ut tale pascha nunquam in  
 Israele fuerit. Et Esdr. lib. 3. cap. 9. 51. Item apud  
 Iosephum, lib. 11. cap. 10. cum videret lachrymã  
 rem populum in die festo, iussit eum abire, esse  
 enim diem festum, nec licere ea die flere, horta-  
 tusque est ut ad epulas versi, ita ut festo die de-  
 ceret, hilariter agerent. Et Christus Luc. 22. 15.  
 Desiderio desideravi hoc pascha manducare vo-  
 biscum, ut nos mutuo desiderio vicissim una desi-  
 deremus: Et post cœnam Christus discipulique  
 hymnum huius lætitię testem cecinerunt Matt.  
 26. 30. Mar. 14. 26. Hymnus hęc cantari solitus  
 Hebræis est, Psal. 113. 114. 115. 116. ut hodie  
 que cantatur à Iudæis in memoriam paschatis.  
 Hymni autem à Christianis modò varii canun-  
 tur. Itaque discipuli actor. 2. 46. Frangentes do-  
 mi panem capiebant cibum cum exultatione &  
 simplicitate cordis. Sed Paulus 1. Corinth. 5. 8.  
 disertius hilaritatem istam paschalem expressit.  
 Etenim pascha nostrum pro nobis immolatum  
 est Christus. Itaque *εορταζωμεν*, id est, festa læti-  
 tia exultemus non fermento vetere, neque fer-  
 mento improbitatis & nequitix, sed in fermento  
 pane sinceritatis & veritatis. Ideoque idem  
 Paulus, Rom. 8. 15. Non enim accepistis spiri-  
 tum servitutis rursus ad metum, sed accepistis  
 spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba,  
 id est, pater. Denique hanc eandem lætitiã te-  
 stificabantur illæ *ἀγάπαι* fraterni amoris con-  
 sciã cum Domini cœna celebrari solitã, quarum  
 tamen

tamen abusus Paulus coarguit. Quamobrem convivæ sacri convivii ad celebrandum memoriam partæ salutis servatorisque gloriam, hilaritatem animi & lætitiã singularem adferant, sed hilaritatem & lætitiã sinceram sanctamque. Quapropter Apostolum eundem de contrariis contemptoribus sacrosancti mysterii atque ideo divinæ majestatis imminutæ reis capitalẽque propterea pœnam meritis concionantem 1. 1. cap. 1. ad Corinth. auscultemus: Quisquis ederit (inquit) panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat: Nam qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini. Equis igitur ad hoc convivium conviva dignus accedit? quis verè particeps corporis & sanguinis Domini efficitur? quis dijudicat corpus Domini? Certè qui in ista professione gloriam Dei ad salutem sibi proponit, id est, qui vivam in crucifixum Christum fidem, qui promptam obedientiam, qui ardentem invocationem totumque Deo debitum cultum esurit & sitit. Hac enim fame, hac siti corpus & sanguis Domini participatur & dijudicatur, convivæque dignitas æstimatur, & in antecedente theologia id proponitur, & hoc demum est Christianum, Christo devotum se ex animo sincerèque profiteri: illa enim plenitudo & sanctitas sacramenti fuit, de qua in generali defini-

tione dictum est. Ecquis conviva indignus accedit? quis in hoc convivio corporis & sanguinis Domini reus efficitur? quis non dijudicat corpus Domini? sané qui gloriam Dei nullam hic sibi salutarem meditatatur, id est, qui vel diffidentia carnis in Christum crucifixum, vel rebellione spiritus contra domini legem, vel contemptu numinis divinæque opis despectu sanctitatem convivii immolatique filii Dei beneficium nihili reputans simulat famem & sitim: Id enim est indigné Domini & panem manducare, & poculum bibere, nudaque & inania professionis signa proferre. Ideoque corporis & sanguinis Domini reum esse, nec utrumque pro sua dignitate dijudicare: Conculcat enim ut est Hebr. 10. 29. pedibus filium Dei, profanumque reputat fœderis sanguinem per quem sanctificatur, spirituique gratiæ injuriam facit. Quare nefarius divini mysterii contemptor impio mendacio vel ludibrio se Christianum esse profitetur: convivium enim hîc duplex est, externum corporis é pane & vino, interius animi é fructu crucifixæ carnis & effusi sanguinis Christi. Impius licet externo pane vinoque corpus obruat, interiore tamen illo, neque carnis pane pascitur, neque sanguinis vino potatur: Si quis enim Christi carnem ederit, & sanguinem biberit, habet vitam æternam, & manet in Christo, & Christus in eo, ut postea patebit. At impius non habet vitam æternam, non manet in Christo, nec Christus in illo: nec Paulus ait. Quisquis ederit corpus  
hoc

hoc, aut biberit sanguinem Domini indignè, sed ait, Quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini. Postremò, ut Augustinus contra Crescentium, lib. 1. cap. 25, Iudæ cœna talis fuit, qualis baptismus Simonis Magi: hic aqua tantùm aspersus est sine gratia spiritus sancti: ille tantùm pane pastus est sine virtute corporis Christi. Quare impius non edit carnem, non bibit sanguinem Christi, imò propter impietatem & despicientiam religionis iusto Dei iudicio in æternam vitam damnatur. Et tam sceleratè ingratum tamque impiè perfidum convivium Domino convivii odiosum ac detestabilem esse quisquam admiretur? A carnanes duo iuvenes (ait Livius 31. lib.) Athenis per initorum dies non initiati templum Cereris imprudenter religionis cum cætera turba ingressi sunt: facilè eos sermo prodidit absurdè quædam percutantes, deductique ad antistites templi, cum palam esset per errorem ingressos, ideoque innocentes esse: attamen per speciem violatæ religionis, velut ob infandum scelus interfecti sunt. Ecquis igitur apud Deum is erit, qui prudens sciensque mente cœlestibus sacris nõ initiata vel potius perjura & sacrilega in sacrarium filii Dei introierit? Pejerat enim spiritui sancto, multoq; magis presentem mortem meretur, quàm iudice Petro Ananias ille in Act. cap. 5, meritis est. Eucharistia itaque ut piis est salutis solatium: sic impiis est mortis iudicium. Sic eandem cœnã Petro salutarem, Iudæ exitialem Augustinus ait fuisse.

*Cap. 10. De secundo fine cœnæ per Christi ipsius interpretationem.*

SEd de primo eucharistiæ fine hæc sunt. Secundus finis de beneficio mortis Christi per hoc sacramentum Christianis communicando totoque crucis ipsius fructu participando jam dicendus est, & quidem tanto diligentius, quanto graviores controversias & periculosiores per tulit. Etenim de spirituali baptismi fructu in regeneratione luctam meminimus, quam difficile fuerit vel piis animis Deumque timentibus mentem a carnis & sensus consuetudine ad cœlestis & diuinæ veritatis cogitationem & cõtemplationem revocare. Lucta verò de corporis & sanguinis pastu potuque multo acrior & acerbior fuit ad persuadendum hominibus etiam piis, deque beata vita sollicitis (ut postea patebit) hunc pastum carnis, hunc potum sanguinis, non aliud esse, quam vivam fidem in Christum crucifixum pro nobis atque immolatum, qua sumus os ex ossibus ejus, caro ex carne ejus, ut cum ipso vero Deo & homine spiritus sancti virtute uniamur. Quapropter veritas primo declaretur, ut pateat Dominicam cœnam fide & spiritu manducari, cum interim Christus corpore supra cœlos ad dexteram patris assideat, symbolaque panis & vini physicam essentiam retineant, falsitas deinde contraria refelletur. Agedum Christus antea spiritualis regenerationis præceptor & magister fuit. Christus idem spiritualis pastus  
& potus

& potus corporis sanguinisque sui sancté & pié attendentibus præceptor & magister erit. Generalis & communis sermo de regeneratione fructu baptismi anticipatus est: etli enim cœnæ sacramentum nondū solemniter esset institutū, anticipatur 6. cap. Ioann. à Christo de sui corporis sanguinisque esu potúque sermo commuuis & generalis, siue passus iste mysticus sit & caremomialis in eucharistia, siue sola fide fiat, nullo publicæ professionis ritu, extraque eucharistiam: communis (inquam) & generalis, unde tamé & propria & specialis in eucharistia quæstio concludatur: Ideoque (ait Augustinus) Ioannes postea cœnæ mentionem nullam fecit, quia hoc generali sermone totum mysterium cõplexus est, & sic plerique doctores antiqui hūc generalem Ioannis locum ad interpretandum speciale cœnæ sacramentum accommodant. Itaque principale dominicæ cœnæ fundamentum hīc collocandum est, accuratūque Augustini valdéque logicum iudicium hīc fuit, iudicantis hac generali doctrina speciale cœnæ mysterium totū contineri, valdéque imprudenter & inconsideraté à theologis alioqui doctissimis & hoc ædificium ædificare parantibus, valde (inquam) imprudenter & inconsideraté angularis iste lapis improbatu ac repudiatus est: Nam Christi specialem & consequentem sermonem generali & antecedenti non consentientem cogitare nefarium sit: omninoque tam sit *ἄλογον* atque absurdum generalem istam concionem à cœnæ institutione sepa-

rare, quàm genus à speciei definitione rejicere. Audiatur igitur attentius & accuratius 6. cap. Io ann. Christus quemadmodum carnis suæ esum, sanguinis sui potum definiat, & cujus tandem axiomatis conclusione id efficiat.

*Pasci pane vita aeterna, est in Christum credere:*

*At manducare carnem Christi & bibere sanguinem Christi, est pasci pane vita aeterna:*

*Manducare igitur carnem Christi, & bibere sanguinem Christi, est in Christum credere.*

Hæc conclusio est à Christo ipso conclusa, & quidem tam anxie, tamque sollicitè ut una in re sæpius repetenda atque iteranda commoratio nulla in totis evangelistis similis appareat, tantæque anxietudinis causa satis ex adversa Iudæorum admurmuratione intelligitur. Reclamatur enim propositioni, reclamatur assumptioni: denique discipulorum fit à Christo doctore propterea discessio: Tantæ molis erat sacrosancti mysterii fundamenta ponere. Sed syllogismi partes attendantur. Quinque millium turba, panibus quinque & duobus piscibus insolito convivio recreata Christum affectabatur. Christus itaque ad Capernaum cum admonet ne operose solliciti essent de caduco ejusmodi pane, sed potius de pane æternæ vitæ cogitarent, quem filius ex voluntate Dei patris præstaturus esset, quærentibus quidnam esset hic panis & quo parandus opere, respondit, opus Dei est, ut credatis in eum quem ipse misit: Hæc propositionis sententia est, sed adhuc minus aperta,

*Divinum*

*Divinum opus comparandi panis aeterni, est credere in Christum à Deo missum:*

Tum Iudæi corporalem tantum panem & velut immortalis corporis ambrosiam quandam cogitant, nec satis apprehendunt quod de fide propositum erat: Itaque primo levius contradicunt propositioni, & prosyllogismum signo aliquo requirunt: quia patres cœlestem à Mose mannam manducaverant, & tamē erant mortui: Huic prolepsi Christus respondet distinctione diversi panis. Amen amen dico vobis (ait Christus) Moses non dedit vobis hunc panem de cœlo, sed pater meus dat vobis verum panem de cœlo: panis enim Dei est, qui descendit de cœlo. Hac Mosaicę mannae & verioris ē cœlo panis differentia movetur magis quā docentur Iudæi, corporisque partum duntaxat, ut antea, reputant, propositionique velut assentientes & acquiescentes, assumptionem ē propositione illa expectant de modo panis hujus ac specie: propositio tamē eadem quia animadverta non erat, quia res alias agentium aurem mentemque prætervolarat, verbis magis apertis iteratur, & altero prosyllogismo pressius inculcatur. Parsi pane aeternae vitæ est venire ad Christum & in eum credere. Ego sum (ait Christus) panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, qui credit in me non sitiet in æternum. Itaque Iudæorum incredulitas hîc coarctatur, tertioque prosyllogismo propositionis sententia repetitur, quod ē Dei patris voluntate credentes in Deum filium ē cœlo de-

missum fervarentur & excitarentur. Hic verò murmur exoritur atque indignatio Iudæorum quòd Iosephi filius (quem putabant) cœlestem panem se affirmaret esse. Itaque contra adversam acclamationem quarto prosyllogismo eadem propositionis sententia asseveratur. Amen amen dico vobis (ait Christus) qui confidit in me, habet vitam æternam: denique superiora illa de caduca Mosis manna, de æterno Christi pane repetuntur. Hactenus igitur syllogismi propositio leviori primo contradictione, deinde gravi obmurmuratione excepta totiesque ideo verbis paululum variatis ad obduratos & obstinatos animos erudiendum proposita est atque affirmata. Quid igitur assumptio?

*At manducare carnem Christi, & bibere sanguinem Christi, est pasci pane vite eterne,*

quomodo exprimitur? quomodo accipitur? Certè quinquies iteratur, & tandem à perversis & pervicacibus animis excipitur indignissimè. Vix Christus assumere cœperat. Et panis quem ego dabo pro mundi vita, caro mea est: cùm repente Iudæorum fauces iterum & ventres cogitantium altercatio inter se & strepitus exoritur. Quomodo potest hïc dare nobis carnem suam ad manducandum? Christus itaque interruptam assumptionem continuat, & quater repetit. Secundò: Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis. Tertiò: Qui manducat meam carnem & bi-  
bit

bit meum sanguinem, habet vitam æternam, & suscitabo illū in novissimo die: Caro enim mea veré est cibus & sanguis meus veré est potus. Quartó: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in illo. Quintó: Quemadmodum misit me vivens pater, ita vivo propter illum, & qui manducat me, is etiam vivet propter me. Hæc assumptio est quinquies surdis illis auribus iterata. Propositio tandem rursus aggregatur de Mosaicæ mannae & panis æterni differentia. Atqui tamen ad istam assumptionem, quód carnem Christi manducare, & sanguinem Christi bibere, sit pasci pane vitæ æternæ, non jam á Iudæis, aut Capernaitis quibuslibet est contradictio, murmur, indignatio, sed in plerisque etiam discipulis commotio atq; offensio. Durus est hic sermo (inquiunt) quis possit audire? Opposuit in baptismo Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire & renasci? Persuaderi tamen verum sibi passus est: At obstipi hominum sensus cum propositum & assumptum esset,

*Pasci pane vita aterna, est in Christum credere,  
At manducare carnem Christi, bibere sanguinem  
Christi, est pasci pane vita aterna:*

Cum (inquam) ita propositum & assumptum esset, concludere ex antecedentibus & judicare complexionem istam nequeunt.

*Quare manducare carnem Christi & bibere sanguinem Christi, est in Christum credere.*

Miserę (inquam) adeo quę averſę mentes conclu-  
dere nequeunt, ut intelligant iſtum ę carne ſan-  
guinęque paſtum non dęte & palato, ſed animo  
fidęque delibari. Ad verba carnis & ſanguinis at-  
toniti obſtupescunt, & tanquam flagitioſam la-  
nienam corporis & ſceleſtam cruoris ingluviem  
ſecum diſputant, tropoſ carnis manducandę, bi-  
bendi ſanguinis ę futura Chriſti paſſione, quavis  
á Chriſto indicatoſ, imo declaratoſ & judica-  
toſ, attamen nulloſ animadvertunt. Itaque Chri-  
ſtus ſecretaſ cogitationeſ intuenſ, imbecillitati  
atque inſirmitati ſubvenit, & complexioneſ illa-  
lam (quam præ ſtupore ratiocinari non potue-  
runt) evidentiuſ illiſ exponit, ac primo: Hoc ne  
(ait) voſ offendit? Quid ſi videritiſ filium homi-  
niſ aſcendentem ubi priuſ fuerat? Comparatio-  
neſ Chriſti ad Nathanaelem & ad Nicodemum  
pręceſſerunt, nunc ad Capernaitaſ comparatio  
ita eſt: Offenditne voſ (inquit) quod vobiſ car-  
nem meam immolatoſ, ſanguinę meum profu-  
ſum, paſtum potumque æternę vitę credenti-  
b. animiſ futurum prædicavi? Ecquid ſi filium ho-  
miniſ non ſolum pro vobiſ cruciatum, ſed á mor-  
te cruciſ excitatum, ſed palam ac luce ſpectanti-  
b. diſcipuliſ in cęloſ integro glorioſo que cor-  
pore ſublatoſ videritiſ: quomodo tandem affi-  
ciemini? quomodo obſtupescetiſ? Tum veró  
hebeti ſenſu cogitare deſinetiſ corpus meum den-  
tibuſ veſtriſ objectum atque conſumptum iri,  
cum cęlo invectum occupatumque & compre-  
henſum videritiſ. Hiſ igitur illuſtrib. argumē-  
tiſ

tis Christus utitur ad cæcos hominum sensus il-  
 luminandum: Deinceps addit ad extremum illam  
 ipsam complexionis sententiam: Spiritus est qui  
 vivificat, caro non prodest quicquam: verba quę  
 locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: Hęc Chri-  
 sti est de suis verbis interpretatio, quę tropos il-  
 los carnis, sanguinis pro fructu crucifixę carnis  
 effusiq; sanguinis participando & percipien-  
 do manifestissimę demonstrat, beneficiũque  
 suę mortis, redemptionis humanę pretium, sem-  
 pitemnũque piis animis alimentum fore profi-  
 tetur. Caro igitur Christi manducatur non oris  
 dente sed animi fide, sanguis Christi potatur nõ  
 gutturis haustu sed pietatis spiritu. Quę cũ tã  
 perspicua tamq; perspicuę exposita sint, neq; ta-  
 men ab obduratis animis cernatur, meritõ Chri-  
 stus incredulitatẽ rursus illis exprobrat, & prædi-  
 cta de electis per patrem repetit. Denique cũ stu-  
 pidis & stolidis & ad illa verba corporis & san-  
 guinis adherescentibus non satisfaceret, quin ab  
 eo desciscerent, ad duodecim conversus & concil-  
 ionis hujus angorem quendã significãs, nunquid  
 (ait) & vos vultis abire? At hi discipuli ad magi-  
 stri doctrinã attentiores & cõstantiores fuerũt.  
 Domine (respõdet etiã pro cæteris Petr<sup>o</sup>) ad quẽ  
 ibim<sup>9</sup>? verba vitę æternę habes, & nos credidim<sup>9</sup>  
 & cognovim<sup>9</sup> te Christũ esse filium Dei vivẽtis.  
 Hic igitur discipul<sup>9</sup> miseris illis Capernaitis lõgẽ  
 dissimilis doctrinã magistri de fide in ipsum pcep-  
 pit, & quid concluderetur, animadvertit. Itaque  
 etiam de fide in Deum Christum & æternę vitę

authorem respondet, idque se non solum credidisse, sed cognovisse confirmat. Quapropter cum Petro & super hanc petram, id est, super hanc Petri confessionem tam marmoream tamque solidam Christianæ & fidei & notitiæ fundamentum statuatur, axiomaque non ex humani ingenii levitate confectum, sed à filio Dei profectum & sacro ipsius ore dictatum ita generale & universale teneatur. Manducare Christi carnem & bibere Christi sanguinem est viva fide merita Christi pro nobis crucifixi, beneficiaque apprehendere, ipsum denique Christum verum Deum & verum hominem percipere. Cum (inquam) axioma illud ita generale & universale sit, jam licet ex isto inconsiderate (ut dixi) rejecto ab ædificantibus angulari lapide, ex isto (inquam) angulari lapide non rejecto, sed accuratèposito fundatoque propositum ædificium ex ædificare: licet ex eo generali axioma ad specialem Eucharistiæ partem descendentes sic assumere. At in Eucharistia manducare panem & bibere vinum est manducare Christi carnem & bibere Christi sanguinem. Itaque in Eucharistia manducare panem & bibere vinum, est, credere in Christum, id est, viva fide corpus & sanguinem, Christi pro nobis crucifixi merita beneficiaque ejus apprehendere & percipere. Quapropter præcipit Christus in sacro cœnæ convivio, cum specie panis & vini carnem suam manducandam & sanguinem suum bibendum proponit, ut fideles convivæ edendo pane, bibendo vino fir-

ma

ma constantique fide Christum redemptorem meditentur pro mundi peccatis oblatū: & qui in cœnæ sacramento, manducâdo pane Christum crucifixum viva fide apprehendit, qui bibendo vino Christi sanguinem pro mundi peccatis effulum vivifico spiritu meditatur, ita carnē Christi manducat, ita Christi sanguinem bibit, ut Christus carnem suam manducandam & sanguinem suum bibendum discipulis suis præcepit, eaque fide Christi merita, beneficiaque percipit, tandēque reipsa in cœlo perfruetur. Itaque primis Christianis hic sursum corda, accinebatur: eaque de causa Chrysoströmus in sacro mysterio non gracculorum sed aquilarum oculos expetit. Hoc Augustini iudicium lōgē gravissimum Dominicæ cœnæ veritatem sub oculos piorum clarissimē subjicit: Propositio enim generalis est ē Christi voce & interpretatione: Assumptio specialis est ē voce Christi & institutione: quibus positis & concessis complexio necessario consequitur. Itaque Christiani theologia Christi cōtenti, credant in sacrosancto convivio manducare carnem Christi & bibere sanguinem Christi, non aliud esse, quā viva fide & vivifico spiritu apprehendere pro peccatis hominum crucifixum esse Christum & Christi sanguinem effulum, eaque fide Christi meritis beneficiisque omnibus perfrui.

*Cap. 11. De prima carnalis presentie refutatione, per repugnantiam primæ cœnæ.*

**H**Æc sanctæ cœnæ veritas simplicitasquæ mille ac ducentos annos (ut postea dicitur) integra permansit, tandem obstinatio quædam é crudo illo nudoque verborum corporis & sanguinis Christi cortice recrudit. Nec illa quidem ad diffidendum, ut Capernaitis malé intelligentibus accidit, sed (quod longé gravius est) ad credendum & confitendum. Falsitas igitur illi veritati contraria refellatur. Patres perseverarunt appellare signa nominibus rerum significatarum, Dominicę cœnę panem & vinum corpus sanguinemque Christi. Augustin. de trinitate lib. 3. cap. 4. nominamus corpus & sanguinem Christi, quod é fructibus terræ sumptū est. Hinc error ille vetus renovatus est in cœna non tantum spiritualem manducationem esse, sed corporalem, quia verum corpus Christi corporaliter edatur, verusque sanguis corporaliter bibatur. Quapropter huic errori occurratur atque obfistatur. Et si veri confirmatio nondum satis percepta sit, falsi refutatio fortasse clarius percipietur. Quemadmodum enim sæpe fit, ut aliis cogitationibus intenti vel ante oculos posita non cernamus, sic usu venit contraria opinione aliqua affectis & occupatis ut verissima quamvis & clarissima, attamen neque attendamus, neq; judicemus. Quare tantæ rei tamque maximé rerum omnium necessariæ studio captus in hac meditatione commoretur, hæreat diutius atque habitet, precibus gratiam divini spiritus obtestetur atque imploret, sine dubio etiam si

etiam si forté majore lumine non potuerit, attramen vel minore & sibi aptiore verum percipiet. Non disquiro subtilius opinionum híc variarum multipliciumque species, utrum Christus symbolis panis vini que re ipsa jungatur, vel in ea transmutetur, vel alio quoque genere essentialiter assumatur, sed univérse summátimque ex illo Christi oraculo, statuo in hac terrena mensa Domini nullam corporalem corporis sanguinisve præsentiam cogitandam esse. Idque argumentis quatuor considero, primúm est repugnantia cœnæ á Christo primúm institutæ. Agedum finis ille Christianæ pietatis & religionis ante oculos revocetur est Christi cruce & morte, eque ipsius fructu totaque generis humani redemptione. Crede & manducasti ait August. tractatu 25. in Ioã. eandem illam suam logicam sequutus, sed ad credendum, sed ad fidem exercédum & confirmandum cæremonia est symbolis totaque sacramenti actione adhibetur. Itaque manducatio alia híc nulla est, sed alia manducationis exercitatio, non alius híc finis est, sed alius finis assequendi modus. Sed tamen ad corporeæ præsentia thesim penitus perspiciendum primam Christo instituyente & ministrante cœnam intueri attentius, rem oculis subjectam cernes. Etenim Christus verus, non Deus tantúm, sed homo vero & physico hominis corpore neque dum glorificato præditus in mensa panem vinumque discipulis diversæ mensæ loco accumbentibus distribuit: non igitur discipuli edentes

panem, bibentes vinū, Christum ipsum á seipsis spatio disjunctum intuentes, convenientes, deque futura prodicione cum ipso differentes, ore & faueibus deglutiant: neque ipsius visibilem carnem edunt vel sanguinem bibunt: sed mystica corporis sanguinisque Christi ( qui pro peccatis nostris victima pauló post erat futurus ) symbola vera animi religione, vera pietate mentis edunt & bibunt: Nam si panis humanum Christi & essentialia corpus comprehendit, Christus non unus physici corporis homo tum fuit, sed unus qui discipulis ministrabat, item alter, tertius, quartus, & deinceps tot homines Christi, quot nempe discipuli fuere, ita per eundem ipsum ministrantem hominem Christum duodecim homines Christi alii ministrabantur, quo quid mirabilius fingi potest? An ideo etiam miraculum híc esse respondebitur? At corporea Christi miracula in evangelio corporis sensibus protinus apparent. Horum igitur miraculorum exempla subducantur. Aqua vinum efficitur? Gustatus saporem indicat. Mutus loquitur? aures vocem exaudiunt. Claudii ambulant? oculi motum perspiciunt: ægroti convalescunt? mortui reviviscunt? sensus omnes admirantur & obstupescunt. Hunc in modum, si panis Christi corpus, si vinum Christi sanguinem re ipsa præse ferret, Petrus & Iudas omninoque pii & impii tanto miraculo attoniti mensa protinus exilirent, & miraculo omnium miraculorum maximo maximéque admirando mirificé permoverentur.

rentur. At in tanto mysterio corpore nihil pro-  
 cumbūt, loco ubi accubuerant, cœnatiq̄ue erāt,  
 nihil moventur, nihil corporeum corporis ullo  
 motu nutūve aut admirantur aut venerantur:  
 imò posteris sæculis conciliorum decreto in do-  
 minica mensa γονυκλισίαι genuum flexiones sunt  
 interdictæ: Neque Nazianzenus neque Augu-  
 stinus in recensendis sacræ scripturæ miraculis,  
 hīc ullum miraculum statuerunt. Imò verò (ait  
 Augustinus) symbola ista, ut religiosa honorem  
 habere possunt, non autem stuporem ut admi-  
 randa. Quare discipuli miraculum hīc nullum  
 agnoverunt, sed ut Christi carnem edi fide, &  
 spiritu, ut Christi sanguinem bibi fide & spiritu  
 à magistro ipso Christo in Capernaitana concio-  
 ne illa didicerant & crediderant, ita fide & spiri-  
 tu ederunt & biberunt: nihil Capernaitanum  
 obstupuerunt, nihil admirati sunt. Hæc est ve-  
 rissima & prima dominicæ cœnæ cūm ex illo  
 generali & antecedente, tum ex hoc præsentī  
 proprio dogmate & institutio & celebratio.  
 Quare quomodo Christus in cœna illa à Petro  
 & reliquis apostolis per physica & naturalia si-  
 gna assumptus est, ita deinceps ad sæculi con-  
 summationem à veris Christianis assumendus.  
 Hoc exemplar, hoc archetypum à Christo pri-  
 mum est, cujus effigies Christianis imposterum  
 omnib⁹ sacrosancta atque inde in omnibus do-  
 minicæ cœnæ exemplis imitata & expressa esse  
 debeat: nihil novandum, nihil comminiscendū,  
 nihil addendum, nihil detrahendum.

Cap. 12. De secunda tertiæq; carnalis presentia  
 refutatione ex homogenia baptismi &  
 analogia Hebraei paschatis.

QVÆ cū ita sint, videmus totam Christia-  
 næ religionis scholam & magistrum Chri-  
 stum & magistri Christi discipulos locupletif-  
 simos apertissimæ veritatis testes esse, nullam in  
 sacra cœna carnalem Christi præsentiam statui:  
 ad eandem tamen veritatem magis ac magis ex-  
 plicandū, secundum argumentum ex bap-  
 tismo opponamus & consideremus, utrum bap-  
 tismus in aqua ullam corporalem Christi præsen-  
 tiam requirat: Nemo (satis scio) id affirmabit. At  
 baptismus licet materia formæque differens, au-  
 thore tamen finēque cœnæ germanissimus est.  
 Omnes (ut Paulus 1. Corinth. 12. 13.) in eun-  
 dem spiritum baptizati sumus, omnes in eun-  
 dem spiritum potati sumus: Nam quod in ba-  
 ptismo est lavacrum regenerationis & renova-  
 tionis, hoc in eucharistia est fidei & spiritus ali-  
 mentum: aqua pariter & vinum est Christi san-  
 guis idem: Christus in Baptismo & cœna com-  
 municatur idem, incorporatur idem: augustior  
 in baptismo videatur patris, filii, spiritus sancti  
 appellatio, præstantior in Eucharistia coporis  
 & sanguinis communicatio: At in utroque sacra-  
 mento eadem est a peccatis remissio, eadem pa-  
 tris æterni reconciliatio, eadem fidei confirma-  
 tio, eadem æternæ vitæ promissio, eadem lætitia,  
 eadem conscientia pax & consolatio, eadem  
 spes

spes recuperandæ hæreditatis amissæ, eadem  
 cum Deo similitudinis & imaginis instaurandæ  
 expectatio. Denique Baptismus & Eucharistia  
 symbola, tesseræ, pignora, annuli, sigilla, moni-  
 menta sunt ejusdem pietatis & gratiæ: aqua il-  
 lic symbolum est, panis & vinum hîc etiam sym-  
 bola sunt & utroque sacramento idem é Christi  
 morte fructus fide spirituque communicatur  
 diversis signis, diversa specie, sed eodem usu. Ita-  
 que Hieronymus ad Eudibiam scribit nos in  
 Baptismo corpore Christi & sanguine vesci.  
 Quinetiam in 3. Ecclesiastæ, monet utile nobis  
 esse, si corpore Christi saturemur, & cruorem  
 ejus potemus, non solum in mysterio, sed in san-  
 ctæ scripturæ cognitione. Hæc ille. Ut non alius  
 fundi fructus per sacramentum, quam per ver-  
 bum, sed aliter assumatur: spiritualis alimenti suc-  
 cus & vigor hîc est idem. Neque veró minus est  
 in baptismo Christi sanguine lavari, Christo in-  
 feri, Christum indui, Christi carnem, ossaque  
 fieri, quam Christi carnem manducare, quam  
 Christi sanguinem potare. Attamen quæstio  
 nulla est utrum in aqua baptisimi, cum mortis  
 illo fructu etiam adsit essentialiter & corpora-  
 liter Christus: neque item quæstio sit utrum in  
 pane & vino realiter ( ut ajunt ) & essentialiter  
 adsit Christus. Finis enim iste salutis summus  
 adest: mortis illius beneficio liberamur, fide in  
 Iesum crucifixum conservamur, justificamur,  
 sanctificamur, in cælum ascendimus: nec alio  
 gradu ( quo ascendas altius ) ullo tibi opus est:

exesa carnaliter caro, potus sanguinolenté sanguis ad consequendum hunc finem nihil profunt, docuit antea nos ipse Christus: postremó in ista carnali præsentia tam vehementer defixi cogitent quid carnificibus Christum ipsum cruciantibus profuerit Christi & pedes & manus & latus aperuisse, totum corpus attrectasse, sacro sanguine cruentatos fuisse. Quid veró profuisset, si sanctissima viscera omnia mandissent, si sacrum sanguinem totum epotassent? tantundem certé his corporeis epulonibus epulæ istæ carnis sanguinisque profuerint. Trajicere vis humanæ tuisque peccatis debitæ mortis procellosa hæc maria? naulum Christi morte signatum opus est: Postremó ut homogenia baptismi concludatur: Qualis est regeneratio per baptismum, talis est educatio per cœnam: At regeneratio insitioque est fidei tantúm & spiritus, carnalem Christi præsentiam nullam requirit. Educatio igitur per cœnam fidei tantum & spiritus erit, nec ullam corporalem Christi præsentiam iterum requiret. Quapropter ex homogenia baptismi proponatur ista meditatio, quód credere in cœnæ sacramento Christum corporaliter præsentem esse, non sit Christiana & Apostolica fides, sed commentum Christianæ & Apostolicæ fidei plané contrarium. Tum veró ad hanc veritatem magis magisque confirmandum, tertium argumentum ex Hebræorum paschate comparetur, rei nempe veritas aperta verborum quoque veram & germanam

manam significantiam aperiet. Quid igitur Mo-  
 si, quid Davidi, quid Helix & reliquis sanctis pa-  
 tribus, nonne pascha eundem Christum eundem-  
 que Messiam promittebat? nonne per eandem  
 nobiscum fidem justificati, sanctificati & servati  
 sunt? Agnus enim occisus est a creatione mundi  
 Apoc. 13.8. At tum corporis & sanguinis Chri-  
 sti nondum in utero virginis concepti presentia  
 realis, corporalis, carnalis, definitiva (quæ voca-  
 bulis istis appellatur) in manducando agno nul-  
 la ne cogitari quidem vel fingi potuit. Finis re-  
 ligioni pietatique propositus est futura morte  
 Christi, est satisfactione humanæ captivitatis per  
 fidem adfuit: ideoque servati. Quare fundi no-  
 stri fructus idem est Christi nempe morte nobis  
 spectandus & perfruendus est. Christus bene-  
 ficium suæ mortis nobis per fidem communi-  
 cat in cœna, interim corpore est in cœlo, spiri-  
 tu animas nostras vegetat & vivificat, interim  
 re ipsa supra cœlos sedet ad dexteram Dei pa-  
 tris, ut ex apostolico symbolo profiteamur. Qua-  
 propter altera ista meditatio consideretur atten-  
 tius, commentum certè corporalis presentia  
 longissimè rejiciet. Neque venturi vel exhibiti  
 Christi differentia ulla cogitetur: neque enim  
 temporis futuri aut præteriti circumstantia, reli-  
 gionis constantiam variat. Æterna Dei sunt effa-  
 ta & oracula immutabilia, fides in illum, sive  
 qui veniret, sive qui venerit, Christum, fides (in-  
 quam) opus totum unâ continet.

Cap. 13. De Quarta carnalis presentia re-  
futatione, per consensum primiti-  
ua ecclesia.

SED ENIM quartum argumentum huc addatur, é primorum Christianorum in dominica cœna consuetudine & consensione, de qua doctissimi theologi copiosè scripserunt. Quid igitur de cœna domini primi parentes loquuntur? An cœnæ verba propriæ non modificatæ significationis accipiunt? An hîc corporis sanguinisve carnalem præsentiam affirmant? imò verò certatim ad illum simplicem é Christi morte fructum concurrunt, nec aliud hîc quicquam intelligunt. Si quis literam hîc sequatur (ait Origenes in Levit. Homil. 7.) litera occidit. Quod enim corpus suffecisset (ait Athanasius de verb. Homil.) ut totius mundi alimonia fieret? Sic Augustinus 89. Psalm. ut est de consecr. dist. 2. illa Christi verba tanquam ipsius Christi voce, eodem illo iudicio interpretatur. Spiritualiter (ait) intelligite quod loquutus sum: Non hoc corpus, quod videtis, comesturi estis, neque bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum est quod dico vobis, spiritualiter intellectum, vivificabit vos. Ergo ait præstantissimus Christianorum interpretum logicus.

*Sacramenta spiritualiter intelligenda sunt,  
Eucharistia est sacramentum,  
Spiritualiter igitur intelligenda.*

Itaque

Itaque etiam (Logicus ait idem contra Adimantum cap. 12.) Non dubitavit dominus dicere, hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Item lib. 3. cap. 16. de doctrina figuram (ut vulgo fit) pro tropo accipiens: Si præceptiva locutio est, quæ flagitium aut facinus videtur jubere, figurata locutio est, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, nõ habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo præcipiens passioni domini communicandum, suaviter & utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Hæc sanctus doctor Logica tam illustri tamque manifesta & evidenti, imò tam valida tamque forti, ut nihil evidentius, nihil validius aut fortius optari possit. Architectura nempe ista est angulari à Christo lapidi consentanea & imprimis cõgrua. Atque huc Græcorum Latinorúmque theologorum mirificus cõsensus accedit. Clemens Alexandrinus in Stromatis cœnam appellat divini cœlestisque nutrimenti monumentum, Basil. in Liturg. Nazianzenus orat. de pasch. Theodoretus dial. 1. panem in cœna vocant *αἰνέτητον* corporis. Chrysostomus in Psal. 22. similitudinem, in Matth. Homil. 83. symbolum, opere imperf. Homil. 11. in ecclesiasticis vasis, non verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem ait hîc corp<sup>o</sup> Christi pane figurari: Cyprianus é 2. cap. 3. ostendi. Hieronymus in cap. 26. Matthæi repre-

sentari. Ambrosius in 1. Cor. 11. significari. Gelasius pontifex contra Nestor. panem, similitudinem corporis & imaginem nominat. Bernardus invisibilis gratiæ visibile signum hîc appellat. Bertramus & Ioannes Scotus huc etiam accedunt: tandiu integra cœnæ synceritas permanet. Ac si quis veterum videatur corporis essentialis præsentiam aliquam redolere, ad tropostamen Christi respicit, ad illa Christi cœlestia bona per quæ Deo rursus assimilatur, ad illum fundi fructum nos remittit, ut Cyrillus, qui nos ait Christo conjungi non solum spiritualiter certa fide charitatēque, seu voluntatis unitate & consensu, sed etiam naturaliter & corporaliter: Nempe spiritu sancto copulante efficimur membra mystici corporis, cuius caput est Christus: & sic Cyrillus idem non solum corporalem, sed spirituales manducationem in cœnâ approbat 6. & 15. ca. in Ioan. & 6. ac 10. cap. 1. Cor. & quidem Cyrillo corporalis ista conjunctio ideo dicitur, quia sicut Christus assumpsit carnem ex carne nostra & os ex ossibus nostris, sic nos vicissim à Christo, cum ipse sit corpore animoque glorificatus immortalem corporis animique vitam consequemur. Non poterat. n. aliter (ait) corruptibilis natura ad incorruptibile traduci, & naturam glorificatæ carnis adipisci. Sic igitur doctor ille corpoream cum Christo conjunctionem intelligit, ut antea sæpe jam proposuimus ex conjunctione spiritus, & ex similitudine glorificatæ carnis post universalem resurrectionem, nec alia omnino cum corpore

corpore Christi corporea conjunctio potest intelligi. Quamobrem meditatio ista sit quomodo primi Christianæ religionis antistites cum in eucharistia carnis Christi manducationem spiritualem & fructum passionis ejus absque ulla Christi corporali præsentia requirerent, verumque Christi sensum sacra ipsius Christi voce testatæ sequuti sint, proque indubitato crederent in cœna, ut in simplici verbi prædicatione, crucifixi Christi beneficium in æternam vitam nobis exhiberi, neque hîc aliud exquirendum esse.

*Cap. 14. Adversus prolepsim de tropis  
in sacramento.*

QVID igitur in ista nova corporis Christi præsentia diutius contra spiritum domini recalcitrare possumus? an objicietur tropus in tanto mysterio recipiendos non esse? Omnipotentia Dei carnalem corporis præsentiam subjectam esse? aliam denique præsentis corporis speciem contra fidei analogiam hic concipiendam esse? Hæc enim objiciuntur: & sanè ideo refellenda sunt. Dicas igitur primùm in hoc mysterio verba simpliciter uti sunt, sic intelligenda esse. Quid verò (inquam) etiamne vim locutioni contra loquentis voluntatē & autoritatē afferes? an Christi voluntatem & autoritatem illam verborum istorum interpretem tam repente oblitus es? At (inquam) verba etiam sunt in baptismo, peccati corp<sup>o</sup> exuere, Christo unâ & crucifigi, & mori, & sepeliri: Christo inseri,

Christum induere: quæ verba tamen non propriè, sed modificatè ab omnibus sine controversia intelliguntur. Quare & in cœna similiter modificatè corporis sanguinisque vocabula à Christo præsertim ipso modificatè exposita, sunt intelligenda. Et tamen Eucharistiæ tropi de corpore & sanguine vel aliis rebus significandis, in scriptura neque insolentes sunt neque novi. Audiamus igitur Paulum 5. cap. ad Eph. de matrimonio loquẽtem. Nemo (ait) unquam carnem suam odit, sed nutrit & fovet eam, quemadmodũ Christus ecclesiam: quia mēbra sumus corporis ejus; ex ejus carne, ex ejus ossib. Hi (inquã) tropi tales sunt. Etenim Adamus 2. cap. Gen. de sua Hevã propriè loquitur: Hoc nunc os de ossib. meis, & caro de carne mea. Sic dicit Christiana ecclesia, metaphoris id ipsum indicantib⁹, de Christo spõ sòque suo, Nos membra Christi sumus, caro de carne ejus, ossa de ossib. ejus. Itaque in isto Pauli loco analogia connubii sano judicio cõcipienda est. In matrimonio cõstat inter virũ uxoreq; bonorũ malorũque communionẽ singulatè esse: Ecclesia quod sponso suo communicaret nihil habuit præter egestatem atque inopiã, tota animi corporisq; natura miserabilè. Itaque Christus oēs humanitatis nostrę, excepto peccato, infirmitates ac debilitates subiit. At cõtrã Christ⁹; quæ sponsæ suæ cõmunicaret in hac vita, fide, in cœlo re ipsa ac veritate habuit omnia bonorum genera, animi innocentiam, veritatem, justitiã; corporis immortalitatem, robur, splendorem;

& tamen ista connubialis tam mirifica commu-  
 nio, non solum per cœnam, sed per baptismum,  
 sed per fidem etiam absque sacramento efficitur.  
 Quare tropus est in verbis, Membrorum, Cor-  
 poris, Carnis, Ossium, & tali tropo dicitur de cõ-  
 jugibus 5. Eph. Erunt duo in carnem unam. Ne-  
 que enim Paulus ait virum & uxorem, sic specie  
 unam carnem esse, ut viri pedes & manus sint re-  
 ipsa uxoris pedes, manúsque: ut viro ambulante,  
 uxor ambulet, quiescente quiescat, sed ait ut  
 Christum ecclesiæ, sic uxoris virum caput esse,  
 id est dominum. Sic enim Paulus ipse metapho-  
 ram declarat: & sic Cyprianus de cœna non u-  
 nit personas sed affectus & voluntates cõsociat.  
 Atque unitas in hoc tropo sic intelligenda est,  
 ut Ioã. 17. 21. intelligitur. Vt omnes unum sint  
 sicut tu pater in me, & ego in te, & ut ipsi in no-  
 bis unum sint. Item mox: ut sint unum sicut &  
 nos unum sumus. Hic igitur corporis & carnis  
 tropus est. Sed de tropo sanguinis Mosem & Davi-  
 dem audiamus. Mosem Exod. 24. 8. cum asper-  
 git populum sanguine. Hic est ait sanguis fœde-  
 ris: Quod & Paulus Heb. 9. repetit, ubi sanguis  
 ille vitulorum & hircorum pro signo sanguinis  
 Christi ponitur. Sed Davidis in isto verbo tropus  
 apertior est. 2. Sam. & 1. Par. 1. Diversi tamenge-  
 neris: Absit ut bibam sanguinem virorum, qui  
 abierunt cum periculo vitæ suæ: ait de militibus  
 qui sitiētī aquam illam ē mediis hostium castris  
 periculo sui sanguinis attulissent. Hic enim me-  
 tonymia est, Sanguis pro Aqua adjuncto sangui-

nis periculo parta. Verum quid longius petitis exemplis opus est, ut doceamus in cœna domini tropos fugiendos non esse? Sunt enim præter tropos corporis & sanguinis alii tropi etiam in ipso cœnæ mysterio. Nam de corpore quod Lucas ait, Quod pro vobis traditur, Paulus dixit, & pro vobis frangitur. Hic igitur frâgitur, tropicè intelligi necesse est: Nam Christi corpus neque frangi debuisse, neque fractum esse Ioã. docet agni paschalis exemplo. Item de poculo Lucas. Hoc poculum est novum testamentum in sanguine meo. Hic poculum metonymia est cõtinentis vasis pro contento vino: Item novum testamentum pro, Signum novi testamenti, est metaphora. Tum, in meo sanguine pro morte sanguinolenta cruentâque, metonymia rursus est. Quapropter videmus totum cœnæ mysterium tropis refertum esse. Et quidem troporum talis usus in sacris literis familiarissimus est. Sic Hebræis circumcisio dicebatur fœdus, & tamen 17. Genes. 11. tropus idem simpliciter exprimitur. Circumcidetis carnem præputii vestri, eritque signum fœderis inter me & vos. Sic Christus dicitur petra, agnus, vitis, via. His & eiusmodi tropis dicimur Christum induere, Christo inseri, Christi sanguine aspergi & sanctificari, in Christo ædificari, nutrirî, crescere, adolescere, cùmque Christo unum fieri, quæ omnia prorsus eundem sensum habent. Sic igitur apostoli in ipsa domini mensa cùm veterum mysteriorum ritus intelligerent, mysticis quoque verbis

novum

novum mysterium expressum intellexerunt: ut sit miserabile, cum Iudæis & Christianis illis primis sacramentorum tropi clarissimi fuerint, Christianis istis novissimis tam controversos esse: & quidem eo mirabilius est, tropos novis theologis tam insolentes videri, cum Poëtæ atque oratores omnium gentium, si in locum unum conferantur, non sint cum Mose & Prophetis, cum Christo & Apostolis troporum non dico divina quadam majestate, sed crebritate & frequentia conferendi. Veruntamen Evangelii tropis etiam tropos alios plerique patres impensius aggregarunt, cum signa pro signatis rebus acciperent, Christum in Cæna Domini videri corporis oculis, manibus atrectari, frangi, ore & dentibus mandi, sanguinem Christi in visceribus fidelium ebullire, corpus Domini é mensa in terram cadere: buccas Christi in mensa restare. Exuperius Tholosatum episcopus corpus Domini portabat in canistro, sanguinem autem in vitro, ait Hieronymus ad Nepotianum, in quibus tropis etsi spiritualem similiter escam intellexerunt, & gratiæ invisibilis perceptionem cum signo visibili dari inuerunt, optandum tamen esset vt pertinacibus quibusdam ingeniis litigandi occasio præripiatur propriis & simplicibus verbis cænæ mysteria explicata esse, quæ ab authore & doctore Christo tropicé ex antiqua mysteriorum consuetudine proposita sunt: Nequaquam enim erroris occasio litigiosis & altercandi cupidis oblata esset: tamen si (ut dixi)

& primi & postremi tropi mysterium idem factis mentibus interpretentur. Quid jam veró? an aliquis respondeat humanis contentionibus de tanto mysterio contendendum non esse? At per Christum (de cuius mysterio agitur) recordare (si quis ita sentis) quæ & quomodo adhuc meditati sumus, cum primæ cœnæ repugnantia, cum homogenia baptismi, cum Hebræi paschatis analogia, cum catholicæ & adhuc incorruptæ ecclesiæ consensus, cum (inquam) cœlestis doctrinæ tot ac tanta lumina veritatem ipsam tam augusta luce declarantia ante oculos ponuntur, utrum humana contentione contenditur? minimé gentium, minimé (inquam) sed de divino mysterio Dei ipsius iudicium proponitur: contra veró meditare, cogita, ratiocinare, quid hîc fiat, cum adversus ista divini sensus lumina clausis oculis sine divino verbo, sine ullo é sacris literis testimonio obstinata anima obduratur, nonne tum humana contentione de sensu domini adversus ipsum dominum contenditur? Et tamen quod contendendum de re tanta non esse videatur, recté hæcenus videtur, si humana sine Dei verbo persuasione, si pertinaci protervia non altercandum iudicatur: sin omnino neminem audiendum, nihil inquirendum, nihil meditandum, nihil communicandum, nihil é sacris oraculis contra semel conceptam opinionem audendum censemus esse, vehementer erramus videmurque fatuum putidæ carnis nostræ sensum, divino ac cœlesti Domini verbo ne dicant

dicam impié, superbé certé arroganterque præponere. Scrutamini scripturas (ait 5 .Ioan. vivēs ille Deus) hæc testimonium perhibent de me.

*Cap. 15. Adversus alteram prolepsim de  
omnipotentia Dei in physicis  
corporibus.*

SED ENIM ad carnalem præsentiam tuendū prolepsis secunda est de omnipotentia Dei. Deus est, ajunt nonnulli omnipotens: ideoque efficit, ut physicum corpus sit in physicis locis compluribus eodem tempore. Enimveró (inquam) omnipotentia Dei, quæ huc sic affertur, tantum tamque gravem errorem tueri non potest. Dei quidem omnipotentiam tantam confessi sumus & confitemur, ut cælum & terra anté consumantur, quam ullus é Dei verbo apex excidat: neque tamen propterea, si quid Deus possit id protinus fieri credendum est, nisi Deus ipse facti sui testis & interpretis fuerit: potestas enim & efficientia Dei non hominis opinione, sed iudicio testimonioque Dei conformatur: & tantum Deus ipse revelavit, quantum de se a nobis & intelligi & credi voluit: illo enim argumento furiosis & amentibus liceret facinus quodlibet per omnipotentiam Dei confingere ac patrare. Et sic Praxeas argutabatur: Deo omnia sunt possible. Pater igitur crucifixus est: cui Tertullianus recté respondet, non esse quidvis ex omnipotentia Dei concludendum, sed con-

*Praxeas.*

*N3.*

tra ex voluntate Dei concludendum . Deus vult, ergo potest. At omnipotentia Dei antea nobis definita est, nec Deus quicquam potest, quod contradictioni sit obnoxium, quia neque mentiri, neque mori, neque veritati contraria similia ulla potest, neque tum potentia ideo mirabilis esset, sed impotentia vel homine indignissima fuerit: & sic furiosos non potentes, sed mentis adeoque sui impotes dicimus. At Christum verum Deum verumque hominem in pluribus physicis locis eodem tempore corporaliter (ut loquuntur) versari, manifestæ contradictioni est obnoxium, ideoque à potentia Dei seclusum: magnitudini siquidem essentiali est continuam partibusque alicubi sitis comprehensam esse, ut de singulis dici possit, ubi sit: ut Aristoteles (cujus autoritas alioqui theologis istis tam sacra est) in categoria quantitatis specieatim de linea, superficie, corpore demonstrat: unde axioma illud per totam ejus philosophiam, ut 1. 3. 4. cap. 4. Phys. ut 6. cap. 3. de cælo: ut 5. cap. 1. de generatiōe sæpèque alias duo corpora simul esse non posse. quin corporibus physicis dumtaxat occupatur physicus locus. Innumerabiles enim & luces & umbræ, & colores, & qualitates aliæ in eodem physico loco simul esse possunt, corpora physica sola non possunt. Neque verò ex Aristotelis doctrina solum ignorantia tanta refellitur, sed præstantium quoque in Christiana Ecclesia antistitum, ut ex Augustino patuit de carnis resurrectione . Tolle locorum

spatia

spatia & corpora non erunt: ineptaque est ad-  
 versus Augustinum illa obiectio, quod cælum  
 ac terra peribunt, nec ideo locus sit futurus: no-  
 va enim tum terra novique cæli futuri sunt, 2.  
 Epist. Pet. Et tamen locus quamvis mutatis re-  
 bus permanet immutabilis: Illa enim est Aristo-  
 teli ἀμεταστροφικὴ immutabilitas. Vtrum veró obji-  
 cietur catholicam fidem philosophicis conten-  
 tionibus subjectam non esse? obijciatur sané: at  
 dum hoc concessum fuerit, probandum fuerit,  
 istam tam Heracliteam thesim, tamque mani-  
 festa contradictione implicatam & involutam,  
 catholicam fidem esse: ad eamque rem vetus a-  
 liud novumque aliud testamentum cælitus evo-  
 candum. Catholica fides est fundata in verbo  
 Prophetarum & Apostolorum: hujus theses  
 neque Propheta, neq; Apostolus author ullus  
 appellatur. Humanum est & ab homine inven-  
 tum, quod hîc homines loquuntur: patiantur  
 igitur humana sapientia se refelli. Dei potentia  
 (inquiunt) non est subjecta Geometricis & phy-  
 sicis artibus: etiamne (inquiunt) Dei potentiam  
 justitiæ & veritati subjectam non esse? At Deum  
 tamen justissimum esse confitemur ac verissimū  
 vel justitiam potius ac veritatem ipsam: ita sta-  
 tuimus, Deum esse γεωμετρικώτατον καὶ φυσικώτατον  
 non particulari aliqua vel Euclidis Geometria,  
 vel Aristotelis physica eruditum, sed universa-  
 li totaque Geometriæ ac Physicæ veritate, lu-  
 ce, facultate per sese completum, consumma-  
 tumque: ideoque in creando opere Geometri-

*Metaphysicis, in  
 peribunt.*

co ac Physico, quale est hominis corpus, *μάλιστα πάντων γεωμετρικῶν καὶ φυσικῶν* (si sic loqui liceat.) Nam si laus est artificis in artificiosa machinatione à decretis artis atque legibus nihil aberrare, quid in summo illo rerum artifice, cuiusnam mentis fuerit ullam repugnantiam veritatis, ullamve contradictionem cogitare? Et quidem in divinis operibus Geometria & Physica tam mirabilis est, ut homines sapientes sibi videantur, si particulam ejus Geometriæ & Physicæ vel minimam queant intelligere. Itaque Iehova Deus est scientiarum, 1. Samuel. 2. Geometriæque & Physica sicuti reliquæ liberales artes dona Dei sunt, non solum ad humanam vitam sustentandum utilia, sed ad sanctas literas illustrandum, ad mirabilia Dei opera cognoscendum, atque admirandum generi hominum divinitus oblata, ut secundo mathematicarum scholarum libro latius exposui. Quomodo Augustinus arduas divinarum rerum questiones plerasque a disciplinarum ignavis attingi non posse perhibet. Quapropter in iis quæ hominum sensibus ac mentibus Deus aperta esse voluit, lumina divinitus oblata repudiare videndum ne ingrata atque impia stoliditatis fuerit. Itaque contradictionis repugnantia est Deo alienissima atque indignissima, physicum corpus, quale in Christo vero Deo veroque homine esse ex fidei regula credimus, idem locis compluribus physicis simul esse: nec itaque Deo possibilis. An verò hîc resistetur &

objicietur Christi quidem corpus verum hominis & naturale corpus esse, sed expertis magnitudinis? Sed quis hæc loquitur? Deusne? Proferatur igitur Dei verbum: vox certè hominem sonat: si tamen vox humana haberi possit, quæ à natura hominis tam vehementer abhorreat, hominem dicere, id est, certa figura corporis, & specie figuratum, ubi nulla longitudo, nulla latitudo, nulla altitudo, id est, nulla omnino figura sit, quia figura magnitudinis tantum est. Sed tamen quia homo hominis tam aliena tamque humanitatis expertia loqueris ab hominibus paulo humanioribus, pauloque sapientioribus admoneri te finito: Recordare quæ dixit antea Hieronymus adversus Origenem, Christi corpus esse non solum visibile, sed tactile, neque per clausas januas instar æreæ vocis penetrasse, sed apertis ministerio angelorum foribus intrasse: Recordare quod Augustinus dixerit corpora beatorum physico aliquo loco comprehendi. An doctores istos de Geometricis & physicis rebus agentes fastidies? Audiantur igitur Aristoteles & Euclides. Corpus est (ait Aristoteles 1. cap. 1. de cælo, & Euclides 1. definit. 11.) magnitudo longa, lata, alta. hæc definitio generalis est & corporum omnium communis, sive physica sint, sive etiam artificiosa. Corpus physicum est corpus, quod lucido, umbroso, raro, denso, levi, gravi, cæterisque physicis qualitatibus expletum est, ut flumina, metalla, lapides: ar-

bores . Artificioſum quod ab Apelle pictum, à Lyſippo fictum, à Cyro ædificatum, aut ab aliquo artifice compoſitum ſit, ut tabulæ, ſtatuar, ædificia, porticus, templa, armamentaria. Et ſic artes de artium ipſarum ſubjectis iudices eſſe poterunt. Geometria ad opticam, multo etiam magis ad Phyſicam generalis eſt: & optica viciffim & Phyſica ſubalternæ ac ſpecialiales ad Geometriam: Ideo que linea, ſuperficies, corpus in Geometria ad lineam, ſuperficiem, corpus in optica, & Phyſica generalia ſunt, ad lineam, ſuperficiem, corpus in optica & Phyſica: & hæc ad illa viciffim ſubalterna & ſpecialia: ſicut in analyticis Ariſtoteles proſitetur, & nominatim ad primum caput tertii de cælo, corpora Phyſica diſtinguit à Mathematicis: τὰ μὲν εἰς ἀφερέσιως λέγονται τὰ μαθηματικὰ, τὰ δὲ φυσικὰ ἐκ προσέτιως, quia Mathematica quidem dicantur ex abstractione, phyſica autem ex additione: quomodo & omnino logici docent univerſum genus abſtractis, ſpecies ſingulas additis ſpecialibus differentiis concipi. Corpus itaque cogitatione abſtrahi poteſt à phyſico corpore, ut nempe genus à ſpecie: at corpus phyſicum non magis abſtrahi poteſt à corpore, quàm ſpecies à genere. Sed tantæ ſtupiditatis ſophiſma ortum eſt ex Ariſtotelis philoſophia, in qua ex infinitis authoribus collecta neque interdum collectori ſatis iudicata, omnium ferè ſententiarum contrariæ opiniones leguntur. Itaque in categoriis ſubſtantia quædã corpore ſtatui videtur, cui acci  
dat

dat magnitudo, linea, nempe superficies, corpus ut saltem cogitari possit corpus physicū absque corpore. Itaque etiam theologia ista physicum corpus re ipsa a corpore separat. At (inquam) corpus Christi nō tantū corpus physicum sed corpus animatum, corpus animale, corpus humanum, id est, certa longitudinis, latitudinis, altitudinis figura figuratum statuitur. Atque ut magnitudo corporis, sic corp<sup>o</sup> corporis physici, corporis etiam humani genus est: & ista in categoriis sophistica per illam in physicis logicam verē corrigitur & emendatur, ut alibi copiosius a nobis corrigitur & emendatur. Vtinam verō Christiani homines Aristotelis logicam nunquam didicissent, aut fallacem ejus sophisticam a vera humani usus logica separassent: Christiana .n. theologia istis sophismatis nequaquā laboraret. Neque temerē nostro sæculo evangelii singularis instaurator ille prophetici spirit<sup>o</sup> fulgure nescio quo detonuit, philosophum istum præ omnibus scriptoribus oppletum esse tenebris atque caligine, academiaeque maximē abominandas esse Satanae scortationes, quæ Christianos multo plus in mortuo & pagano philosopho quā in Christo ipso exercerent: & sanē vehementer in plerisque theologis etiam sanctioris theologiae studiosis mirat<sup>o</sup> sum, quod Epicureos, quod Cynicos, quod Stoicos, quod plerosq; alios, quorū scripta nulla extent, quæ corrumpere quēquam possint, tam severē damnarent, Aristotelem autem (cujus libri leguntur in omnibus scholis de

æterno mundo, de mortalitate animorum, de divina non curantia rerum humanarum, de humana fœlicitate ex hominis ipsius facultate, ne in suspicionem quidem impietatis appellarent: denique quòd in sacris oraculis excutiendis acutissimi & liberrimi essent, in profanis sophismatis tam hebetes tamque serviles animos haberent. Quare cùm sit corpori physico non externum non adventitium, sed naturale, sed essenziale, esse longum, latum, altum, id est, corpus esse, contradictio est corpus physicum magnitudinis expers esse. Et contradictio idem corpus physicum (quale sit Christi corpus) in locis physicis compluribus simul esse ideoque contradictio utraque Deo impossibilis.

*Cap. 16. Adversus tertiam prolepsim de incomprehensibili modo corporis Christi, & corporalis presentia.*

**V**ERUNTAMEN ad istam corporalis presentia causam multò mirabilius argumentum in tertia prolepsi repertum est, Christi corpus triplici modo considerari: primo ut physicum, quòd eodem tempore in pluribus physicis locis simul esse non possit, deque eo intelligi locos illos: Surrexit, non est hìc: Me non semper habebitis vobiscum: & similes. Secundo, ut gloriosum & impatibile, quòd etiam gloriosis beatorum corporibus con simile futurum sit, ut antea dictum est.

*Iacobus Andreas  
S. m. a. i. a.*

Tertio, ut majestatis, qua in consortium divinitatis

tis assumptum in pari gloria sit, & maiestate, qua  
 divinitas, ut res omnes præsentis habeat, rebûs  
 que omnibus præsens sit: Ideoque Christi hu-  
manitas sit ubique præsens. At Iehova sanctissi-  
 me, quam theologiam theologi alioqui præstan-  
 tissimi hîc audio? De prima secundaque corpo-  
 ris Christi qualitate testimonium habemus in  
 scriptura: de tertia quaeso, quem in totis sacris  
 literis apicem habemus? Quis doctor hebræus,  
 quis græcus, quis latinus, corporis humanita-  
 tem divinitatis maiestati exæquavit? atqui ta-  
 men ab huius erroris patronis tam sæpè, tam-  
 que accuratè prædicatur de Deo sine divino ver-  
 bo cogitandum nihil esse. Agè verò, an gloria  
 corporis naturam corporis evertit? minimè,  
 sed impatibilem efficit, qualem propemodum  
 naturam suis astris (quæ pro diis coluerunt)  
 gentes attribuerunt: An igitur corpus istud ter-  
 tium ut maiestatem divinitatis adipisceretur,  
 gloriosum corpus esse, physicum corpus esse,  
 corpus denique esse desiit? Certè tam hor-  
 ribilem thesim asserentibus desiit. Nam cor-  
 pus longitudinis, latitudinis, altitudinis ma-  
 gnitudine præditum physico loco continetur:  
 neque corpus vel physicum vel gloriosum, ut  
 isti theologi etiam nominatim ajunt, diffun-  
 ditur in immensum aut multiplicatur. Cor-  
 pus igitur hoc tertium neque corpus est glo-  
 riosum, neque corpus est physicum, neque om-  
 nino corpus est, sed merus, simplex, verus  
 spiritus est: Vtinam sanctè pater Augustine jam

adesses, & sanctum logicæ tuæ iudicium captio-  
 nibus istis retexēdis adhiberes. Etenim hic elen-  
 chus speciei à genere suo separatæ sophisticā val-  
 de agrestem jam antea manifestavit. Generalis  
 sermo de baptismo anticipatus est, in specie ta-  
 men ipsa à quibusdam non satis attenditur. Vni-  
 versalis sermo de manducatione corporis Chri-  
 sti præoccupatus est, ægré tamen in sua parte à  
 quibusdam recognoscitur. Corpus est gen<sup>o</sup> cor-  
 poris & physici & artificiosi, & tamen corpus  
 physicum theologis quibusdam à corpore sepa-  
 ratur. Ita nūc corpus hoc tertium nō physicum,  
 non gloriosum, non corpus denique sed corpus  
 incorporeum efficitur. Quin philosophorum i-  
 storum (qui talem philosophiam nobis philoso-  
 phantur) subtilissimi & acutissimi confirmant,  
 in ista præsentia Christi nullam neque magnitu-  
 dinem, neque parvitatem, neque longitudinem,  
 neque crassitiem, neque tenuitatem carnalē co-  
 gitandam esse, *scripsit* que thesibus & Tubingæ  
 editis profitetur cōporis hujus incorporei non  
 tam præsentiam in cœna quàm dispensationem  
 requiri: neque ideo corpus tale extra cœnam ubi-  
 que esse: At ista *ἀλογία* etiam par erit superiori.  
 Corpus majestatis est præsens rebus omnibus:  
 corpus idem non est præsens rebus omnibus,  
 quia extra cœnam non est ubique. Veruntamē  
 si corpus in prima cœnæ institutione exhibitum  
 est corporaliter, uti mordicus tenet ista theolo-  
 gia, primū utique & physicum, non autē glo-  
 rificatum, multo etiam minus tertiū veluti dei-  
 ficatum

# *scripsit*

ficatum est exhibitum: atque ita deinceps cōtra ista axiomata physicum exhiberetur. Quale enim à domino exhibitū esset, tale exhiberi à ministris necesse esset. Hoc impossibile, hoc nefas antea uersimus & hīc urgemus. Heraclitus dicebat contradicentia simul esse vera: Anaxagoras assererat simul esse falsa: ut Aristoteles scribit in philosophia. At thesis ista Heraclitos, Anaxagoras, referre videatur. Quid plura? ad hanc tādē anchoram sacram recurritur, ut modus talis corporis & talis præsentię sit incomprehensibilis & ineffabilis. Enimvero diligētius & maturius existimemus quid hīc affirmetur. Credis Christum in cœna tibi præsentem esse corporaliter, sed modo corporis, sed modo præsentię incomprehensibili atque ineffabili. Atqui si Christus corporaliter adesset, tu quoque corporaliter comprehenderes: Christus enim non jam dico corpore illo physico, quo cœnam tamen instituit, sed ab inferis excitato, glorificatoque, ut se corporaliter adesse demonstraret, ita corpus suum carne & ossibus persentiendum & comprehendendū, manus clavorum stigmatis impressis cōtrectandas & palpandas Thomæ exhibuit. Spiritus carnem & ossa non habent, prout me conspicitis habere: Videte, contrectate me, Luc. 22. Attamen quamobrem istum incomprehensibilem modum statuimus? Quia (inquies) nominatim præceptum non est, ut istius corporis & ista corporalis præsentię exquiratur: At (inquam) multo etiam minus præceptum est, ut credatur. Neque

Petrus incomprehensibile istud Christo respondit, sed se nō solūm credidisse, imō etiam cognovisse: neque talis incomprehensibilis ullum est in cœnæ institutione in tota scriptura verbum. Postremó cujusnam contradictionis inconstantia ista est? Etenim si modus talis & corporis & præsentia est incomprehensibilis & ineffabilis, quomodo tale corpus sine extensione, sine diffusionemagnitudinis per omnia tamen extensum diffusumque, corpus incorporeum? quomodo item talis corporis præsentiam realem, carnalem, substantialem, definitivam esse comprehendis? quomodo tam copiosè effaris? Hanc certè carnis & sanguinis realem præsentiam caro nostra, sanguis noster nobis confinxit, spiritus domini per evangelium non revelavit, non annuntiavit nobis: & commentum nostri magnum nobis ipsis (si constantius attendamus) argumentum videri debeat, quod ista tam manifestè contradicentia repugnantiaque aliis persuadere cupiamus, quæ ipsi nec intelligamus, nec explicare valeamus, quæque ideo cogamur incomprehensibilia & ineffabilia confiteri: Certè nihil omnino est tam incomprehensibile, tamque ineffabile, quàm contradicentia simul esse vera: & tamen si nominatim scriptura istum corporis, istum præsentiaem modum proponeret, certè pietas acquiescendum suaderet: quia Deo vera esse crederemus, quæ falsa nobis apparerent. At scriptura iis commentis apertissimè contradicit, & demonstrat in tantis, tamque toto orbe  
Chri-

Christiano turbulentis cōtroverſiis inanem verborum altercationem duntaxat ineſſe, de re con venire. Quare tertia prolepiſis iſta cū tam info lenti commento valeat.

*Cap. 7. De Miſſa pontificia.*

**H**ACTENUS igitur carnalis præſentia gene-raliter refutata eſt: unde pontificiæ miſſæ theologia facile deprehendetur: in qua verba de manducando corpore potandoque ſanguine Chriſti non ſolū ad illam Chriſti corporalem præſentiam pontificii referunt, ſed moti eodem illo verborum argumento, quod dictum ſit: Hoc eſt corpus meum, hīc eſt ſanguis meus: panem & vinum natura ſua transformari, & (ut loquuntur) tranſſubſtantiari in verum corpus Chriſti, in verum ſanguinem Chriſti credunt: ideoque panem & vinum, tanquam præſentem Chriſtum adorant longē aliter quā ſuperiores illi theologi, qui ſigna phyſica remanere docent, nec adorationem ullam in cœna admittunt. Sed iſti conſimiliter illis affirmant, in ſacra cœna & ad eſſe & manducari corpus Chriſti naturale, animale, humanum, ſed modo incorporeo, ſupernaturali, ſpirituale, divino. Atque hac diſtinctione velut aliquo ſydere iſtus qui audis, obſtupescis, & tanquam Dei vocem, quamvis iudicio tuo vehementer abſonam, attamen admiraris & pro affectu ſequeris. At per ſanctum Chriſti myſterium expergifcere, & hominis vocem hīc agnoſce,

nullum scripturæ testimonium habentis, imò  
 verò Anaxagoram, Heraclitum, Protagoram re-  
 vocantis: esse corpus incorporeum: naturale idē  
 & supernaturale: animale & spirituale: humanū  
 & divinum: Atque hæc incomprehensibilia: ho-  
 mini & ineffabilia esse hîc etiā prædicatur. Cur  
 igitur incomprehensibilia & ineffabilia? Sanè  
 quia (ut jam dixi) palam repugnantia & contra-  
 dicentia. Adest corpus (inquis) sed incorporeo  
 modo. At (inquam) si incorporeo modo adest,  
 est incorporeum, nec ideo est corpus, sed spiritus.  
 Nam ut corporeum est essentialiter corpori, sic in-  
 corporeum spiritui. Dic igitur lux adest, sed te-  
 nebricoso modo, tenebræ adsunt, sed lucido mo-  
 do, calor adest, sed frigido modo, frigus adest, sed  
 calido modo, nonne dices lucem non esse lucē,  
 tenebras non esse tenebras, calorem non esse ca-  
 lorem, & frigus non esse frigus, manifestamque  
 repugnantiam, deo que impossibilem contradi-  
 ctionem asseres? Vt enim naturale est luci adesse  
 lucido modo, calori adesse calido modo: contra  
 naturam autem adesse modo tenebricoso, mo-  
 do frigido: sic corpori essentialiter est adesse corpo-  
 reo modo: contra essentialiter adesse modo incor-  
 poreo. Distinctionum ista fraude omnes disci-  
 plinæ ferè cædata & depravata sunt: altera pars  
 distinctionis manifestam veritatem impressam  
 habet in literis humanis, divinisque: corpus nem-  
 pe ubicunque adsit, adesse corporeo modo: pars  
 altera corpus adesse incorporeo modo, ubinam  
 gentium sculpta, ubinam locorum exarata est?

Optici docent rei visibilis in numerabiles species sphericè in omnem partem radiare: Sic pontificii somnari videntur, corporis supra cœlos cōstituti & collocati innumerabiles species radiare simul per infinita loca. At (ô homines divini) species istæ optica non sunt corpora, sed imagines visibilium rerum, ut lucis cœlestis. Quamobrem corpus istud præsens isto incorporeo modo, non est verum corpus, sed qualitas quædam corporis incorporea: quæ si ad rem ipsam referatur, quid aliud esse possit, quàm fructus ille è passione crucifixi corporis, quàm beneficia meritaque pro nobis oblata atque immolata Christi? Sic igitur commentorum istorum authores argutiis suis premuntur & urgentur, sic aculeis suis compunguntur, ut veritatem, quam verbis oppugnant, re ipsa cogantur confiteri. Atque ut in proximis theologis problemate isto penitus excusso, nil nisi verborum controversia deprehenditur: res & veritas de amissa Dei imagine renovanda in confesso relinquitur. Verum tamè cùm præsentia corporis refutata est, transsubstantiatio & transsubstantiati panis adoratio modusque & præsentia & manducationis satis superque refutatus est. Neque verò ex iis enuntiatis, Circumcisio est fœdus: Verbum caro factum est, transsubstantiatio concludi potest, aut circumcisionis in fœdus aut verbi in carnem: Nec item ex isto proposito, Panis est corpus, vinum est sanguis, sequitur transsubstantiatio panis in corpus, vini in sanguinem. Quare tam novæ opinionis

cōminiscendæ nulla prorsus hîc occasio fuit. Sed enim reddant pontificii rationē theologiæ suæ, quem prophetam, quem apostolum, doctore talis transubstantiationis, talis adorationis habeant. Petrus in cœna domini (ut antè propositum est) ad illud corpus Christi, ad illum sanguinem Christi nequaquam procubuit, nequaquam illa flexis genibus adoravit, an tu Christianior isto Christiano esse vis? Petrus illa fide ascēdit in cœlum, cogita contraria opinione quò sis descensurus. Missam (ais) instituerunt sanctissimi papæ in terris generales episcopi, tot sancti postea celebrarunt. At (inquam) Christus sanctitas ipsa sanctitatum cœnam instituit, apostoli & eorum discipuli, papæ paparum, sancti sanctorum cœnam celebrarunt, papalem missam nescierunt: recteque Cyprianus ante annos 1300. clamabat solum Christum audiendum, uec attendendū esse, quid aliquis ante nos faciendū putaverit, sed quid (qui ante omnes est) Christus prior fecerit, libro 2. Epist. 2. Et ista generalis episcopatus monarchia, peculiari argumento à nobis (si Deus voluerit) excutietur accurati. Appelletur sanè papa generalis episcopus & quidē sanctissimus, imò sanctitas ipsa, ut à suis parasitis appellatur, attamen quî licuit homini novā religionem condere, veterem à Deo institutam abrogare? Nam si ecclesia ipsa sancta & catholica tota simul esset, attamen esset scripturæ interpret tantum & nuntia non correctrix, nō domina, ut postea dicitur. Verum panis iste, qui nummuli forma tanquā deificatus

ficatus adoratur, valde primis & optimis Romanorum pontificum displicuit: Erat enim panis iste ex apostolorum tempore tantus, ut fractus & particulatim divisus presentibus & communicantibus omnibus satisfaceret. At veró panis ejusmodi diametro cubitalis aut bicubitalis nunquam vel ab imperitissimo populo pro Deo cultus esset. Itaque beatus Gregorius (ut Diaconus in ejus vita prodidit) gravissimé tulit minutias nummulariarum oblatarum (ut appellabat, ut hodiéque sunt in pontificia missa) benedicti panis nomine indignissimas judicans panis vocabulo: iisque dominicæ cœnæ religionem profanari aperté conquestus est. Ergó postea inter universales & sanctissimos Romanæ ecclesiæ episcopos, qui primi transsubstantiationem panis & vini oppresso Berengario circa annum 1079 confirmarunt, Heildebrandus Cluniacensis fuit quem Beno Cardinalis & alii historici testantur diabolo addictum, necromantiæ studiosum per veneficia & latrocinia ad istum generalem episcopatum pervenisse: tantæ impietatis tantus videlicet author opus fuit. Deinde Honorius papa circa annum 1226. asservando pani ciboria sacramentaria composuit. Tùm Urbanus quartus Festum Dei (ut appellât) circa annum 1264. instituit: Itaque Christi ecclesia etiam latina annis mille & ducentis transsubstantiationis idolatria caruit: ut mirabilis stupor sit hominum hanc opinionem tam recentem, tamque novam illi antiquæ tot sæculorum religioni præ-

ponere, imó novam judicare & appellare, quæ sit antiquissima.

Cap. 18. De Calumnia adversus Christianos propter ἀπολαΐειαν, de quæ exoticis  
& ab homine excogitatis verbis  
in questione de cœna.

SED de Missa pontificia & falsa corporis præsentia satis, cujus idololatria, sicut altera illa, de qua jam dictum est secundo mandato, Christianos paganis præcipuè odiosos atque invisos effecerit. Et quem tam amentem esse putas, qui illud quo vescatur, Deum credat esse? 3. Natur. Tullius. Hinc Averrois illud in 12. metaphysicæ Aristoteles: Quoniam Christiani (ait Mahumetanus ille) manducant Deum, quem adorant, sit anima mea cum philosophis: Infidebat videlicet in Averrois animo pro domini mensa, Polyphemi domus illa

--- Sanie dapibusque cruentis,

& conviva Christianus tanquam Polyphemus

--- Atro cùm membra fluentia tabo

Manderet, & trepidi tremerēt sub dētibus artus.

Itaque Christianam religionem vexari contumeliis impiorum perspicimus, non veró Christianorum, sed pontificiorum Creophagorum vitio: neque è toto veteri novoque testamento quidquam magis à novissimis Christianis depravatum & corruptum est, quàm secundum mandatum legis & cœnæ sacramentum, ut homo in  
utroque

utroque per speciem religionis in execrabilem idololatriam laberetur. Sedenim (quod rogare cœperam) undenam voces istæ, realiter, carnaliter, corporaliter, substantialiter, consubstantialiter, transsubstantialiter: corpus naturale, animale, humanum modi incorporei, supernaturalis, spiritualis, divini in cœnam domini irrepresentant? Commenta enim sunt hominum manifesta contradictione errorem suum demonstrantia: imò idololatriam quandam redolentia. Nam cum sit una & eadem conjunctio veri Christiani cum suo Christo, ut per cœnam, sic per baptismum, imo per simplex verbum sine cœna, & sine baptismo, cur in cœna hoc ipsum reale, carnale, corporale, substantiale, consubstantiale, transsubstantiale tantopere prædicatur, in reliqua per baptismum perque simplex verbum conjunctione de his vocabulis tam mirificum est silentium? an ut simplices substantialem in cœna, adventitiam aut generis alterius in baptismo & verbo conjunctionem esse judicent? & illic ideo Christum tanquam corporaliter præsentem adorent, hic nequaquam? At cum Christianus cum Christo suo conjunctus cœlestem vitam adeptus fuerit, nihil est altius quò cupiat ascendere. Quare vocabula in sacris literis peregrina barbaraque penitus fugienda esse, duo singulares ætatis nostræ doctores verissimè monuerunt: Buccerus in libello de usu sacramentorum: Martyr in epistola ad Anglum quendam episcopum. Paulum igitur hîc attendamus qui 2. Timoth. 1. 13.

Timotheū admonet ut hypotyposim teneat sanorum sermonum, item, ut doceat discipulos suos μή λογομαχεῖν, verborum rixas non cōsectari, nihil quippe aliud allaturas, quā̄m audientīū cōfusionem: contra autem ὀρθοπομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, sermonem veritatis rectē distribuere, rectēque aptare subjectis rebus & accommodare, denique κενοφωνίας, vanas & inanes voces evitare, quia ad impietatem procedant, sermoque iis utentium instar gangrenæ depascatur. Quod sicubi unquam verū fuit, hīc certē verissimū esse deprehendimus, cū̄ intelligimus corpus deificatum, corpus incorporeum, corpus trās substantiatum adesse & manducari modo incorporeo, & cætera tam paradoxa, tamque impossibilia verborum portenta. Nova inquires novis rebus vocabula, ut trinitatis ὁμοούσιον coessentialē quondā̄ adversus Arrianos, facta sunt. At res suberat: hīc præter cōmētitiarum opinionū vanitatem nihil est: & maximē miratus sum, in ista novi sermōis architectura architectos ipsos ita loqui in suo isto tam incomprehensibili tamq̄z incredibili modo, ut vix ac ne vix quidem a seipsis intelligerentur. At ista vel idiotis illiteratis (quibus nempe scripta sunt) clara & perspicua debent esse, imō verō cum multis variisq̄z modis loquitur sit Deus, & olim per prophetas, & tandem per Christum, Christi que apostolos, nusquam tamē clarius evidentiūsq̄z vel crassius q̄̄ in sacramentis loquutus est, ut rem non modo oculis aspectabilē, sed manibus palpabilē subjiceret. Mittam⁹ igitur profa

ἡς λογομαχίας, & κενοφωνίας, loquamur verba sacre  
 scripturæ, utamur sermone spiritus sancti: verif-  
 simus enim est doctor sapientiæ, clarissimus rhe-  
 tor est eloquentiæ, verbūque utitur, ad id quod  
 à nobis intelligi necesse sit, perspicuis, significan-  
 tibus, idoneis: Istud enim erit ὀρθοταμεῖν τὸν λόγον τῆς  
 ἀληθείας. Denique divinam sapientiam linguam-  
 que sophistica & infantia nostra ne corrigamus.  
 Attamē modus iste communicati in cœna Chri-  
 sti tam studiosē ( ut dixi ) tam sollicitē, tam anxie à  
 Christo propositus est, ut fructus passionis mor-  
 tisque Christi non tantum à doctis ecclesiæ præ-  
 sulibus, sed à rudibus & imperitis comprehende-  
 retur: modus enim est spiritus, modus est fidei,  
 qua teste Paulo Eph. 2. Deus efficaciter agit, qua  
 regeneramur, qua mortui reviviscimus, qua cœ-  
 lestis regni participes, imò é mortalibus homini-  
 bus dii quidam immortales efficimur.

*Cap. 19. De Exhortatione ad consensio-  
 nem Christianæ pacis.*

QUÆ cū ita sint, positis imò supplicib. ani-  
 mis Deum omnes obtestemur, ut suorum mi-  
 fereatur, Satanam discordiæ inter Christianos  
 satorē procul abigat, omniumq; mentes per san-  
 ctum spiritū illuminet, & reconciliet inter se: ut  
 omnes una voce, uno ore, una anima creatoris  
 sui gloriam prædicent ac celebrent. Christiani o-  
 mnes Dei testamentum idem & commune, om-  
 nes testamenti historiam eandem & communē  
 complectuntur, & in toto Eucharistiæ fine

& fructu conveniunt in fruendi circūstantia tantum dissident. Fructum enim passiōis Christi in sacra cœna fidelibus communicari eaque cōmunicacione æternam salutem piis animis parari, omnes confitentur: alii quidem fide & spiritu, modo nempe per prophetas, per Christum, per apostolos, per ecclesiam sanctam & catholicam declarato, cūm interim Christus corpore supra cœlos ad dexteram Dei patris assideat, quo eodē fidei modo omnia Christi bona tandem animo & corpore consequentur: alii autē ad ipsum fructum passionis Christi fide & spiritu communicandum etiam Christum corporaliter exhiberi opinantur: sed contra Christi verbū, contra spirituales sensum, primæq; cœnæ exemplū, cōtra baptismi homogeniā, hebræiq; paschatis analogiam, contra primitivæ ecclesiæ consensum, nec troporum insolentia, nec Dei omnipotētia, nec corporis species deificata vel transubstantiata objectæ quicq; novam hanc opinionē adjuvāt. Redeat ad apostolorum sæculum, cœna sic ad ministratur, ut ab illis administrata est, dissidii causa nulla supererit, tempora religionis illa vere aurea fuerūt, nostra autē vix ferrea dicere possumus. Redeamus (inquā) ad apostolorum sæculum, dissidii causa quamobrē corporalis præsentia thesis tā obstinatē defendatur, diligentius exquisita penitusq; perspecta, nulla prorsus ē reb<sup>9</sup> ipsis apparebit; sed humana nescio quæ φιλαπία ex animis opinionis semel acceptæ nimiū retinētibus, nimiūq; amantibus, infirmitas, λογομαχία denique

denique duntaxat offendatur. Quædam in Ecclesia Dei sententiarum & rituum varietas semper fuit, neque propterea unitas ecclesiæ dissoluta est. Saducæi negabant corporum resurrectionem, Pharisei corrumpebant suis traditionibus legem, nec ideo tamen Christus, & Apostoli non iisdem sacrificiis in eodem templo non usi sunt. Itaque & Paulus ait Ephes. 4. Tolere-  
 mus nos invicem per charitatem, servemusque unitatem spiritus per vinculum pacis: unum siquidem corpus, & unus spiritus sumus, unaque spes est vocationis nostræ, una fides, unum baptisma, una in omnibus secundum essentiam rei & veritatem dominica cæna, unus postremo Deus & pater omnium, qui super omnes & per omnia, & in omnibus nobis est. Quapropter ut idem Philipp. 3. Quotquot perfecti sumus, hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis, hoc Deus vobis revelabit. Item 1. Corinth. 13. Ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Ibidem 14. Spiritus prophetarum prophetis subjiciuntur: non enim est confusio Dei, sed pacis. Dissenserunt olim inter se de baptismo beati martyres Cornelius & Cyprianus. Dissenserunt etiam sancti doctores Hieronymus & Augustinus, sed in ista sententiarum atque opinionum dissensione, animorum consensus, mutuaque charitatis affectio servata est. Dissensio autem ista de cæna Domini, etsi ab æquis iudicibus Dei que glo-

tiam divinæ scripturæ regula metientibus facile dijudicari potuit: Attamen bella civilia, ruinas civitatum, strages provinciarum mirabiles excitavit. Iulianus apostata ad Arsatum Cappadociæ pontificem scripsit Christianam religionem tam latè propagatam esse, propter Christianorum erga omnes cujuscvis religionis mortales beneficentiam. Nos verò nisi nobiscum de cujuslibet superstitionis opinione proximus noster consentiat, igne vivum protinus exurimus. At illi patres antiqui etiam erga paganos benigni, misericordes, humani reperiebantur, eaque mansuetudine nationes omnes ad Christum adducebant. Et certè Petrus verissimè confirmat Acto. 10. 34. Deum personis hominum minimè commoveri, sed in quacunque gente ac natione qui Deum timeat, colatque iustitiam, Deo charum acceptumque esse. Quapropter

*Moribus antiquis res stat Romana virisq;*  
dixit Ennius de Rom. rep. sic de rep. Christiana dicendum est, ut tam misera dissensione conflictari desinat, antiquæ ecclesiæ moribus & exemplis stabiliendam & confirmandam esse. Revocetur igitur hospitalitas illa popularisque bonitas, deque una beneficentiæ erga proximum, charitatilque laude inter Christianos certamen sit, omnes insanarum opinionum discordiæ tolerantur. Enimvero Achilles ab Agamemnone dissidium (ut est apud Homerum Iliad. 1.) Ulysses disputat cladem Grajorum esse, & cladem illam quidem in caput Achillis, nisi caveat, redunduram:

daturam. Vrgent (ait) magnis copiis Trojani,  
Hectorque dextro Iovis fulgure excitus, ingen-  
tique rabie percitus furit: tandēmq̃ inde con-  
cluditur,

--- σὺ δὲ μεγάλη πρὸ θυμὸν

Ἰσθῶν ἐν στήθεσσι, φιλοφροσύνῃ γὰρ ἀμείνων.

Διγέμεται δ' εἶδος κακομηχάνε.

--- *Tu autem magnum animum*

*Contine in pectoribus: amicitia enim melior:*

*Desine autē a contentione malum machinante.*

At (inquam) instant, adeoque insultant Chri-  
stiani nominis hostes Sarraceni & Mahumeta-  
ni: occuparunt Asiam & Africam, in eisque Hiero-  
solymam, Antiochiam, Alexandriam, Car-  
thaginem, primos quondam Christianæ reli-  
gionis patriarchatus. In Europæ jam visceribus  
capta ipsa Christiani imperii sede, Constanti-  
nopoli versantur, & ignavia, miseriaque Chri-  
stianarum discordiarum longissimè latissimèque  
dominantur. Ægypti servitutem, Babylonis ca-  
ptivitatem Pharaō jam alter, Nabucodonosor  
item alter minitantur. Turca denique Romam  
papaturit. Cogitent igitur Europæ reliquæ A-  
chilles nostri ac principes tempestatem hanc  
atque vastitatem ad se quoque pertinere, diu-  
tiusque fratribus irasci desinant, quin animis  
concordibus pro gloria Dei, pro salute piorum  
ac tranquillitate ad communem Christianæ ec-  
clesiæ pestem repellendum conveniant. Quam-  
obrem consensionis author & concordie mo-  
derator Deus invocandus & obsecrandus est,

ut hominum ecclesiæ suæ præfectorum mentes illuminet ad verum perspiciendum, ad animorum pacem publicè priuatimque Christiano populo conciliandum, pertinaciam & pernicitiam prorsus adimat, unum pietatis & veritatis studium amorémque in animis accendat. Christum in terris corpore præsentem plerique discipuli propter istam quæstionem interpellarunt, improbarunt, deseruerunt: verùm optimi & selectissimi quique discipuli audierunt, approbarunt, coluerunt. Itaque obstinatione omni repudiata ad verè credentium numerum omnes una eadémque mente aggregati credamus in cœna Domini fructum passionis Iesu Christi fidei nostræ per spiritum sanctum communicari, partum sacrosancti cõvivi cœlestem, spiritualem, vitæ æternæ authorem verè credentibus, verèque pœnitentibus animis exhiberi, tum exitiabilis ista quæstio piis animis illustrabitur, tandémque per Dei gratiam & misericordiam dirimetur, pacèque fidelibus animis constituta, civilia bella cessabunt, orbique Christiano pax optatissima constituetur.

P. RAMI COMMENTA-

RIORVM DE RELIGIO-

NE FINIS.

